Resp Pf XVII - 228

PROPVGNACVLVM ALCHYMIÆ.

ADVERSVS QVOSDAM MISOCHYMICOS, Phisophos vmbratiles, naturæ humanæ laruas, qui se Philosophos profiteri audent, dum Chymiam stultè rident, nec tamen Brutorum genia tenent.

Vbi an sit Lapis Philosophorum, qui sit, & qua methodo, & viâ ipsum Lapidem habuerunt Antiqui, clarissimè tractatur & authoritate, ratione & experientia probatur, aduersus mysochymicos illos, vt tandem resipiscant & veritatem noscant.

Spiritus vbi vult spirat, & vbi spirat omnia viuificat, & illustrat. *Ioann. 3. & 2. Corinth.*

Authore PETRO IOANNE FABRO *Doctore Medico Monspelienſi, ac Castrinouidarry Tectosagum Ciue.*

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

TOLOSÆ,
Apud PETRVM BOSC. M. DC.XLV.

MAGNANIMO, ALTISSIMO, AC INVICTISSIMO
PROTOPRINCIPI, DOMINO
MEO IOANNI BAPTISTÆ
GASTONI BORBONIO
DVCI AVRELIANENSI
& Galliæ Gotticæ Vice-Regi.

Acte virtute, (PRINCEPS INVICTISSIME) *inimicis & hostibus tuis iam omninò prostratis, ac deuictis, innata tua virtus & robur iam exsurgunt, imò omnibus eluescunt, quæ inuidiæ luto, non solum obumbrata fuerant, imò quodammodo apud credulos conspurgata. Pergat porrò vmbras has & nubes lumini virtutis tuæ obiectas, dissipare neque moras faciat inuidia zoïlorum, qui iam non tales esse videri volunt, sed omnes parasiti fiunt, & lucis tuæ gloriæ, ac triumpho-*

rum paranymphos imitari cupiunt, quod fortunam iam victam, ac captiuam innata tua virtus teneat, ac trahat.

Quod vt secundiori fiat fatorum Lege, & virtus tua fata ipsa ducat, imò & nolentia trahat, Pronus ego tanto Principi obseruire, Antiquorum Arabum & Ægyptiorum gazam omnem, & thesauros qui Chymiæ artis cortice tenentur occlusi, hoc opere deposita cortice, Altitudini Principis mei, liberrimè offerre, imò profundere cogor. Vita siquidem longa & fœlix & infinitæ thesaurorum opes, hoc opere clauduntur, quæ iure merito, tanto Principi sunt obsequio.

Maxima hæc quidem sunt, & maiora dari nequeunt, sed maximo Principum, maxima hæc debentur, maiora tamen erunt, etsi maxima sint, si grato, quali offeruntur, accipiantur animo; in hoc enim solo munus meum, quod gratis vt corde puro, & beneuolo traduntur, à Principe Inuictissimo accipiantur. Valeat Princeps altissimus in perpetuum & cordi suo sit.

Tuus fidelissimus ac obsequentissimus
seruus PETRVS IOANNES FABER
Doctor Medicus Monspelienſis.

PROPVGNACVLVM ALCHYMIÆ.

PRÆFATIO AD LECTOREM Beneuolum.

ALCHYMISTAS, cùm multi Philosophastri inscitiæ imo stultitiæ accusare soleant, cúmque male audiatur ipsum nomen Alchymiæ apud ipsos, continere me non potui imò vt verum fatear, tantæ Calumniæ resistere non possum, quin animus meus totus irrumpat in ipsos, & impetum faciat, vt stylo meo rudi, ac pungenti calamo ipsos stimulem, imò lancinem cùm se solos archysophos, archyatros, & verè doctos existiment, cùm verè tamen sapientiæ, Medicinæ & Scientiæ limen, non adhuc tantùm salutarint. Tantum superbiæ ab ipsamet vera ignorantia in altum euehi, pati non potui, quin tenebras has verè Cymmerias, ex animis horum Philosophastrorum, sole meridiano, ad Septemtrionem vsque discuterem, hoc est, mysochymicos: ipsos pudore tanto confunderem vt ne inter sciolos & abecedarios quidem caput

extollere queant: cum Alchymiam Philoſophiæ veram margaritam, & vnionem, inſcitiæ imò ſtultitiæ accuſare audeant, & Lapidem Philoſophorum ſeu Elixir Arabicum, metalla imperfecta in verum aurum tranſmutans, ſtultè & temerè irrideant, & nullo pacto credant.

Veritatem ipſius Alchymiæ, præſtantiam & nobilitatem adeò claram & manifeſtam facere in votis eſt, vt nemo mortalium ſit, quin eius amore capiatur imò rapiatur, Denteſque Myſochymicorum pugnis auerruncet, quòd auſi fuerint tantam veritatem, præſtantiam & nobilitatem liuidis & impuris ſuis dentibus mordere.

In votis fuit, librum hunc Gallico Idiomate publici facere iuris, vt viderent omnes Myſochymici qui inter Gallos degunt, quantum ſit impudentiæ, ignauiæ, & inſcitiæ apud ipſos, qui Chymiam vilipendunt. Vicit me tamen inter Chymicos, & ſcientiæ iſtius fameſæ alumnos promerendi cupiditas, qui Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Poloniam, Angliam, & cæteras Europæ regiones incolunt, Gallicum Idioma non capientes, qui omnes fruſtrati fuiſſent fructu & vtilitate huiuſce operis ſi Gallico idiomate conſcriptum fuiſſet: Si qui ſint tamen inter Gallos, qui Latinum hoc idioma non calleant: interpretari ipſum faciant; breue enim eſt opus, non multum temporis impendetur ad eius interpretationem: non potui tot nu-

mero Europæos, ab vtilitate hac manifesta excludere, & Gallis solis offerre.

Ne me quæso existiment(Lectores beneuoli) superbiæ & arrogantiæ vitio infectum, quòd inscitiæ & superbiæ & impudentiæ alios insimulem: hoc in Misochymicos tantùm factum est, qui Chymicam artem Philosophiæ firmam & veriſſimam columnam irridendo, & mordendo contemnunt: imò ex Scientiarum numero excludere tentant: Hos solos peto, & in ipsos irrumpo hos superbos, hos arrogantes, hos impudentes, fatuos & stultos existimo, qui nulla artis chymicæ cognitione ipsam vilipendunt, qui cæci de coloribus iudicare capiunt.

Si quid aliud mihi supereſt, adhuc iniuriæ, ad ipsos Lancinandos, & penitus Vellicandos, eo libenter vterer, non enim parcendum est calumniantibus, cùm ipsi non parcant, & vim vi repellere liceat, & cùm stultis & fatuis demonstranda sit, eorum stultitia, & fatuitas, vt tandem sapientes, & prudentes fiant. Sic calumniæ & iniuriæ non sunt vitia & detractationes, sed correctiones, quæ pium, & beneuolum sapiunt virum vt à vera veritatis via deflectentes, & penitus aberrantes in ipsam semitam veram reducantur.

Iam opus aggrediamur integrũ & rationibus, authoritatibus & experiẽtijs ipsos Mysochymicos à via veritatis aberrantes conuincamus, vt tandem resipiscant & palinodiam cantent.

An Alchymia sit vera Scientia.

Caput I.

SI vera Philosophia & cognitio rerum naturalium sit vera scientia, Alchymiam excludere non possumus è numero scientiarum: cùm Alchymia sit vera Philosophia, & cognitio rerum creatarum: Sunt nomina tantùm distincta Alchymia & Philosophia: at in rei veritate nullo pacto differant, nisi Alchymiam ad metalla tantùm determinare velimus: quod tamen fieri non potest: Res enim omnes aliæ creatæ, æquè vt metalla subijcientur Alchymiæ, cùm in principia sua possint reduci, & principia sua deputari, vt in quintam essentiam possint terminari, quod solius est Alchymiæ: ergo Alchymia erit vera Philosophia, cùm sit rerum omnium cognitio per causas & per principia rerum omnium, quæ soli Alchymiæ: obijciuntur cognoscendâ: hæ autem causæ & principia rerum, verè cognoscuntur per Alchymiam cum igne suo, & operibus suis, res omnes reducantur in materiam primam, seu in sua principia, ex quibus ortum habuerunt; quæ enim sunt vltima in resolutione, sunt prima in compositione vt notum est, & authoritate Aristotelis, & Physicorum omnium, & ipsa experientiâ: Dum enim mixta naturalia ex elementis, in elementa resoluta conspicimus, asserere possumus elementa illa, hæc vltima, quæ in

resolutione reperiuntur, prima fuisse in compositione eorumdem; dum autem hæc fiunt, dum principia rerum & elementa oculis ipsis subijciuntur, & manuum tactui, ab ipsa Alchymia? Quid meliori iure & titulo nomen scientiæ cognitionis sibi vendicare potest, quàm ipsamet Alchymia, quæ rerum omnium elementa, principia & causas, sensibus ipsis objcit palpandas & tractandas, & perinde optimè cognoscendas. Elementa autem & principia rerum sensibus ipsis palpanda traduntur ab ipsa Alchymia, dum res omnes reducuntur in Salem, Sulphur, & Mercurium, quæ quidem principia rerum omnium sunt, cum hæc vltima in resolutione rerum reperiantur, & perinde prima fuisse in earumdem rerum compositione censendum est. Vnde qui cognoscit Salem, Sulphur, & Mercurium cuiuscumque rei, cognoscit penitus essentiam illius rei & virtutem & proprietatem ipsius, cùm cognoscit id quod dat esse rei, & fontem proprietatum & virtutum. Sal autem, Sulphur, & Mercurius sunt id quod rebus omnibus dat verum esse corporale & formale, cùm Sal sit corpus rerum omnium, Sulphur sit calidum innatum, & Mercurius sit humidum innatum rerum omnium, & perinde hæc tria esse rerum omnium constituunt materiale & formale, & qui materiam & formam rerum omnium cognoscit, verè & fundamentaliter res omnes cognoscit. Vnde Alchymiam

veram esse scientiam negare non possumus, cùm & principia rerum omnium cognoscat & cognoscenda suis discipulis objiciat.

Qui hisce argumentis fidem non adhibet, non est dignus, vt inter homines collocetur, sed asinorum numero & speciei ascribatur.

Præterea doctissimus Hermes, doctrina sua, & excellentia Trismegistus vocatus, eam veram verissimamque testatur: Et experientiâ, & oculis ipsis viderunt infiniti, Alchymiæ veritatem, vt testantur Historiæ antiquæ & recentes: Suidas imprimis asserit Diocletianum circa annum Christi 294. igni tradidisse omnes Alchymiæ artifices apud Ægyptios, cum omnibus voluminibus huiusce famosæ scientiæ, quod aurum & argentum verissimum ac legitimum & peroptimum facere docerent, & perinde Romano Imperio fortiter resisterent, ex his nemo mentis compos Alchymiam veram esse scientiam abnegare potest, vel rationes meras & puras authoritates & experientias, stultè & pertinaciter irridet & contemnit.

Quid prætendat Alchymia in rebus omnibus cognoscendis.

CAPVT II.

ALchymia præstantiâ sua, & nobilitate finis sui, & scopi, alias omnes Scientias naturales antecellit: non enim intendit res simpliciter & cortice tenus cognoscere sed

quid sint materialiter & formaliter, vndenam virtutes & proprietates rerum scaturiant, & quâ virtute & industriâ intendi queant: Exempli gratia dum metallorum perquirit principia, & elementa, eaque videt esse Mercurij, Sulphuris & Salis cuiusdam metallici formas & species esse, non ibi suam perquisitionem terminat, ac finit, sed vltra, vnde ille Mercurius, illud Sulphur, & Sal ortum habuerunt perquirit, & non solùm elementa Mercurij, Sulphuris & salis metallici perquisitionem suam finiunt, sed ipsorum elementorum causas principia prima perquirendo, ad creatorem tandem horum omnium principiorum peruenit, vbi tanquam ad fontem inexhaustum, & terminum vndiquaque infinitum, & ad principium absque principio quiescit.

Et interim dum causas illas naturales & principia metallorum contemplatur, videt & ante oculos suos habet quid sit illud in rerum natura, quod metalla producit eaque germinare faciat, quid eorum distinctionem & varietatem constituat. Quid perfectionem auri, & argenti, quid imperfectionem Plumbi, & reliquorum, quid volatilitatem Mercurij perficiat: his omnibus ritè cognitis, inde facillimum est arguere, an Alchymia metalla imperfecta perficere possit, eaque perducere breuissimo tempore, ad auri perfectionem & argenti ornatorem, habita materia naturali, aurum &

tum perficiente in fodinis & viſceribus terræ, eaque adhuc ad perfectiorem multò gradum arte Chymica conducta : ita vt ſi ea materia aurum & argentum perficiens in fodinis ipſius terræ, certam quantitatem materiæ auri & argenti perficiat : eadem materia arte Chymica ad multò perfectiorem gradum conducta, maiorem multò, & ferè infinitam quantitatem perficiet, ſecundum perfectionis ſuæ gradum: quod enim in vno gradu perficit id ipſum in maiori gradu, & excellentiori, maiora perficere cenſendum eſt.

Sic pariter vegetantium & animalium naturam indagando videt perfectiſſimè, quid ſit in vegetantibus & animantibus, quid eorum vitam faciat, foueat & conſeruet, & quid eorum omnium actus vitales deſtruat, & minuat, vnde vitæ & mortis cauſas videt manifeſtas, & quis vitæ & mortis remedia meliori iure & faciliori via perueſtigare, & inuenire poterit, quàm qui ea verè cognoſcit, & in ipſa natura videt. hoc ſolum ſola pertendit Alchymia in cognoſcendis naturæ rebus, & hoc ſolum vtile, & dignum inueſtigatu cenſet, cùm tantæ ſit vtilitatis, vt nemo eo carere poſſit: Eo vtuntur ſolo creaturæ omnes, ſed inuiſibili modo, quamuis viâ palpabili, nam alimenta omnia continent, ſpiritum lucis inuiſibilem, vitæ pabulum ſanitatis cauſam, & actuum vitalium perfectionem, qui calidum innatum & humidum primigenium &

ſiccum radicale in rebus omnibus conſtituit,& tria chymica noſtra principia monſtrat his omnibus,qui linceos habent oculos: Præterea continent adhuc alimenta omnia ſpiritum tenebrarum inuiſibilem , qui ex parte materiæ ortum habet,qui vitia principiorum & defectus conſtituit mortis fomitem, & morborum omnium originem parit. Si quis ſpiritum lucis cum pura & ſubtili elementorum natura , & ſubſtantia coniungere ſciat , ita vt vnum & idem ſint homogeneum , purum , fixum & ſtans & in omni igne perſeuerans : vitæ theſaurum infinitum habebit , & ſpiritum tenebrarum tenebris opacæ materiæ incarceratum ita detinebit , vt morborum nullus locus habeatur.

Hic ſolus eſt Alchymiæ ſcopus & finis , & huic cedunt facili negotio aliarum ſcientiarum ſcopi & fines , & quantùm hic finis & ſcopus præcellit alios , tantùm & Alchymia omnes alias præcellit ſcientias , & palmam fortiorem illi ſoli concedunt , quod clarum omnino fiet ſequenti capite.

Quantùm præcellat Alchymia cæteras omnes ſcientias naturales.

CAP. III.

QVantùm natura generalis præcellit naturas particulares , tantùm & præcellit Alchymia cæteras omnes rerum particularium ſcientias: quantùm genus ſpeciem,&

ſpecies indiuiduum antecellit, tantum & Alchymia reliquas omnes alias ſcientias ſuperat ac vincit. Res omnes naturales quæ ab elementis & cœlo dependent, Alchymiæ ſubijciuntur. Nullum eſt animalium, nullum vegetantium, nullum mineralium & metallorum eſt, quin Alchymiæ leges ſubeat, nullumque elementorum eſt, nihil lucis & cœli, nihil tenebrarum, nihil vitæ, & mortis eſt, quin Alchymiæ ignibus accendatur, vt purum illius ſeparetur ab impuro, purum conſeruetur, vt naturæ gaudium, & in quo ſolo illius quies, quam ſummoperè quærit & optat: impurum autem reijciatur, tanquam quid illi inimicum, & naturæ iuratus hoſtis.

Sic purum cœli & lucis, atque elementorum omnium animalium vegetantium & mineralium omnium quærit, eoque inuento gaudet, quo ſolo, in rebus naturalibus, miranda & ſtupenda facit, quæ ignaris & ſtultis, qui hoc naturæ purum, non cognoſcunt, pura miracula videntur aut magica arte ſpectra, dum oculis ipſorum ſubijciuntur.

Hoc Naturæ purum, naturæ centrum ipſius Dei verum ſpeculum, actionum omnium naturalium verum & vnicum fundamentum, ſola inter ſcientias Alchymia nouit, & eo ſolo, ſola vti ſolet, & cùm illud naturæ purum ſit etiam naturæ pulchrum, mobile, vtile, & commodum. Et ſi quid eſt in natura pulchritudinis, nobilita-

tis, & vtilitatis, id omne ab illo solo puro, ortum habet: vnde ratione illius puri, quo solo sola Alchymia vti solet, inter omnes scientias, iure merito etiam sola Alchymia scientias omnes naturales plurimùm antecellit, & quantùm purum illud, reliquum naturæ superat & vincit, tantùm & Alchymia alias scientias anteuertit, ratione illius puri, quod & Alchymiæ solum & vnicum subiectum est, & vt subiectum nobilissimum est, & res omnes naturales nobilitate vincit. Sic & Alchymia alias omnes scientias nobilitate sua, & excellentia superabit: quod autem naturæ purum sit vnicum & solum Alchymiæ subiectum sequenti capite demonstrabitur.

Quòd naturæ Purum sit solius Alchymiæ subiectum.

CAPVT IV.

CVm in primo capite huiusce operis Alchymiam asseruimus veram Philosophiam esse, & naturæ vniuersalis cognitionem, fieri non potest, quin purum naturæ sit vnicum solius Alchymiæ subiectum, cùm solius naturæ cognitio, ab ipso solo naturæ puro dependeat; purum enim naturæ, naturam totam comprehendit, & capit: in ipso enim solo, natura cœlestis & elementaris verè vniuntur, & nihil aliud est naturæ purum, quàm illud in quo cœlum & elementa omnia verè & realiter

vnita & coniuncta in vnum reperiuntur, & illud dicitur ab alijs occultæ Philosophiæ Professoribus, Semen: in quo solo tanquam in naturæ puro, natura cœlestis & elementaris verè coercentur, & sic mundus est integer & perfectus sed paruus imò paruulus mundus est, cùm minima sit, sed purissima pars cuiuscumque naturæ compositi, in cuius solius cognitione, totius naturæ cognitio pendet.

Quod si purum naturæ naturam totam capiat, & tota natura percipi nequeat, quin purum illud naturæ percipiatur: Inde necesse est, quod Alchymia purum illud naturæ habeat, pro subiecto suo adæquato: cùm Alchymia habeatur ab omnibus, notitia & cognitio totius naturæ, & sit vera Philosophia vniuersalis: tota ergo & vniuersalis natura cùm cognosci non possit, quin & purum naturæ cognoscatur, cùm purum naturæ, totam capiat naturam, sequitur inde purum istud naturæ, totam naturam capiens subiectum vnicum esse, & verum & adæquatum totius Alchymiæ; subiectum enim cuiuscumque scientiæ, est id circa quod illa scientia terminatur, quodque summoperè quærit vt noscat, & in cuius cognitione & inquisitione, tota occupatur, & ea sola cognitione terminatur: atqui purum naturæ est id solum, quod quærit, vt ipsum noscat Alchymia, & in cuius cognitione & inquisitione terminatur. Ergo inficias ire non possumus, purum naturæ, esse

vnicum

vnicum & verum Alchymiæ subiectum. Hoc ipsum Hermes, Trismegistus, Geber & Lullius, & omnes alij Alchymiæ Professores & veri patres, in suis operibus firmiter asserunt his aut similibus verbis: Purum cuiuscumque mixti, quod est semen & elementū cuiusque naturæ, est nostræ artis & scientiæ subiectum. Vnde cùm illud purum in omnibus rebus reperiatur, asserūt etiam materiam & subiectū artis nostrę, rebus in omnibus reperiri, & nihil sine eo viuere posse: eo ergo ignoto, scientia nostra penitus ignoratur; eo autem noto, quicquid ex arte nostra desiderare possumus, facili viâ obtinemus

Hinc Philosophorum antiquorum quamplurimi purum illud naturæ indagarunt & improbo labore inuenerunt, illudque in vnoquoque naturæ genere in animali putà vegetabili, & minerali, perfectionis summum gradum constituere perspexerunt: idque non purum naturæ vocarunt, sed Lapidem eorum, & Elixir, & summam medicinam, de qua capitibus sequentibus, toto hoc in opere diffusè admodùm tractabitur, vt crassa illa ignorantia, & ferè stultitia, ex animis quibusdam eliminetur, qui se tamen doctos existimant, & philosophiam callere putant, cùm tamē in rei veritate, vt ipsimet fateri tandem conabuntur, ne corticem quidē & pallium Philosophiæ agnoscant, & perinde quanta sit ipsorum stultitia & fatuitas, in sequentibus capitulis huiusce operis, clarissimè

admodùm demõstrabimus, ne rideant amplius Alchymiæ Professores, cùm ipsimet ridendi sint, & ex theatro sapientiæ sibilo maximo explodendi.

Quid & Quale sit naturæ Purum, naturam totam coërcens.

CAPVT V.

QVid & quale sit naturæ purum in genere, tanto velamine obscurarunt Antiqui Sophi, qui ipsum nouerunt, quanto maiori potuerunt, nè notum omnibus fieret, & sic natura semper velata maneret, & obscuris vmbris obtegeretur, ne omnib⁹ patefieret: hinc factum est quòd multi Philosophastri, docti toga tenus & pallio, Purum illud naturæ ignorantes, actionum omnium fundamentum credere non potuerunt, eius miros ac stupendos effectus, & perindè irriserunt, & persecuti sunt cachinnis, & sibilis Alchymiam, & eius Professores miros illos effectus proclamantes.

Vt autem hæc non fiant amplius, & tandem quiescat risus stultorum in sapientes, naturæ istud purum demonstrare in votis est, vt eo noto, & patefacto, resipiscant stulti, & fatui omnes qui non credunt hæc naturæ mitacula: quamuis ipsismet oculis quotidie obiiciantur, vndè verè cæci & plusquã talpæ videntur, cùm non videant quod oculis omnium palam est.

Purum ergo naturæ in penetrabilibus cuius-

cumque mixti quieſcit, & eſt ſcintilla lucis creatæ, & ſpiritus eius, materiæ elementorum omnium puriſſimæ incarceratus & incluſus, vt materiam illam elementorum actuet & informet: nam ſcintilla illa lucis creatæ, & ſpiritus eius, eſt veriſſima forma, materiæ elementaris, & perinde vera ſubſtantia, cum ſit forma quam antiqui Philoſophi, infinitis ferè nominibus nominarunt, vt eius notitiam occultarent: Sulphur enim naturæ eam dixerunt, igneũ vigorem, ſpiritum mundi, mentem, animam, terreſtrem, dæmonem, vel terreſtrem Deum, poteſtatem & δύναμιν, innatam Mimam, Calidũ innatum, humidum primigenium, mediam naturam, florem animæ, Salem innatum & radicalem, auream vim animæ, mentis vigorem in elementis. In æthere Iouem, in aëre Iunonem, in aqua Neptunum, & in terra Plutonem, & ſic varijs nominibus, hanc vnicam ſolam rem obſcurarunt, & ſic occultarunt, ne nota fieret omnibus: Quę tamen nihil aliud eſt, quàm tenuiſſima illa, & ſubtiliſſima naturæ creatæ pars, quę ex lumine puro creato, tanquàm forma, ſeu formalis ſubſtantia, & ſubſtantia elementorum puriſſima, tanquam materia conſtat, ita vt ratione illius luminis, eſt quaſi ſpiritus, & ratione materiæ elemẽtaris eſt quaſi corpus, vnde dicunt Philoſophi medium eſſe, quod eſt quaſi non corpus, ſed quaſi iam anima, ſiue quaſi non anima, & quaſi iam cor-

pus, coniungens duo extrema, animam & corpus in rebus omnibus naturalibus, ita vt sit corpus spirituale, & spiritus corporalis, omnia permeans & viuificans, ita vt in ipso solo contradictoria vera reperiantur, vt ex definitione sua, quilibet colligere potest. Tantam virtutem & vigorem habet hic spiritus, vt nihil fiat in rerum natura, nisi virtute & efficaciâ illius, & quo maior est qualitas illius in rebus naturalibus, eo maior est in ipsis virtus & robur, adeò vt ad miraculum deueniat eius robur & virtus, cum eius substantia sit adeò spiritualis virtutis, vt minima quantitas eius totum ferè mundum agitare possit: hinc ex eo spiritu naturali mira fecerunt antiqui Philosophi in animalibus, in vegetantibus & in metallicis corporibus, cuius solius ope, & industriâ, metalla omnia, siue perfecta, & imperfecta, in primum suum semen, ex quo ortum habuerunt, redegerunt, & hanc materiam, arte sua in tantam redegerunt subtilitatem, & agendi virtutem, vt transmutationem metallicam imperfectorum metallorum, in perfectissima metalla fecerint: Et sic ex eo spiritu Lapidem suum & Elixir Arabicum composuerunt, de quo cùm agendum erit, vt Mysochymicos nostros verè confundamus, & eorum ignorantiam manifestam faciamus, quod veritatem hanc rideant & stultè non credant.

Quòd lapis Philosophorum sit in rerum naturâ, & vere existat.

CAPVT VI.

QVi linceos habent oculos, & acuto sunt ingenio præditi, ex capitulis antecedentibus satis fusè, veritatem huiusce capituli manifestam & clarissimam vident; nihilominus tamen cum Misochymici nostri sint apertè deuincendi, probatio eius nobis est aggredienda, & claris verbis manifestanda.

Purum naturæ quod capitulis præcedentibus notum & manifestum fecimus, ex illius definitione, cùm sit causa vera, & vnica perfectionis in rebus omnibus animantibus, vegetantibus putà & metallicis, inficias ire non possumus, quin in rebus metallicis sit Lapis Philosophorum: cùm Lapis Philosophorum nihil aliud sit, quàm purum naturæ metallicæ, in supremo gradu digestum & percoctum, in quo; perfectio metallica supremo in gradu collocatur.

Hoc autem purum naturæ metallicæ, existere in rerum natura, quis adeò mentis inops non fatebitur, cùm & metalla videat, aurum & argentum conspiciat, & manibus pertractet? hæc enim metalla natura non perficit sine perficiente ac producente, quod & nos semen metallicum & purum naturæ metallicæ dicimus, & verissimum est, cum purum

illud naturæ metallicæ sit verum semen metallicum, & immediatum principium, ex quo metalla fiunt & producuntur; est enim illud solum metallicarũ actionum fundamentum & scaturigo, vnde metalla habent produci ex illo solo, cùm ex illo solo vis illa producendi scaturiat, vt ex definitione sua superius allata sufficienter patet: Si ergo purũ illud naturę metallicæ, seu semen metallicũ & principiũ existat in rerum natura, & Lapidẽ etiam Philosophorum existere fatendũ erit, cũ & Lapis Philosophorũ nihil aliud sit, quam purum illud naturæ metallicæ seu semen, & principium metallicum, ex quo metalla ortum & scaturiginem habent. Lapidem autem Philosophorum, purum illud esse metallicum, seu semen, & principium naturæ metallicæ, nemo ibit inficias, cùm sciat Lapidem philosophorum illud esse, quod in supremo gradu digestum & percoctum ab arte chymica habetur, virtutem transmutandi habens, metalla impefecta in verum aurum & argentum, & sic imperfectiones omnes metallicas percurans & persanans: Illud autem nihil aliud esse potest, quam purum naturæ metallicæ, seu metallicum principium, ex sententiâ ipsiusmet Aristotelis, qui quarto Meteororum asserit metalla transmutari non posse nisi prius, inquit, reducantur in materiam primam, ex quâ immediate facta sunt, hoc est nisi in metallicum principium soluantur, metallicũ ergo

illud principium seu purum naturæ metallicæ, erit illud in quo solui habet aurum & argentũ vt inde ex sententia Aristotelis metalla inter se transmutari queant. Ergo etiam illud erit Lapis Philosophorũ cum Lapis philosophorum nihil aliud sit, quam illud quod metalla inter se transmutat. Fatendum ergo Misochymicis est Lapidem Philosophorum in rerum natura verissimè existere, qui præsentiâ sua & nobilitate, radiisque suæ virtutis fatuos Misochymicos nostros confundit, adeò vt in ipsismet reperiatur, qui adeo cæci sunt vt ipsum quod in ipsis est, & quod *in ipsis manet, & viuit in ipsis*, non videant neque cognoscant, & tamen Philosophi summi haberi volunt, cùm tamen se ipsis planè ignorent, vt autem magis ac magis confundantur & veritatem ipsam *agnoscant, Lapidem* philosophorum adhuc clarius, & dilucidiùs demonstrabimus.

Quod naturæ purum in genere metallico, sit antiquorum Lapis Philosophorum.

CAPVT VII.

PVrum naturæ, est omnium actionum naturalium fundamentum, basis, & columna firmissima, supra quam natura ipsa fundat & firmat, quicquid agere ipsa potest, in metallico genere vt videmus ipsamet experientiâ, metalla quedam perficit, & ad aurum & argentum conducit, vltra tamen tendere non

potest : Ergo in genere metallico datur aliquid, cuius ope, & beneficio, ipsa natura, metalla perficit : Illud autem debet esse purum naturæ metallicæ, cùm illud sit fundamentum & basis omnium actionum naturæ metallicæ.

Metalla siquidem natura ipsa generare nequit eaque perficere, quin actionibus suis & facultatibus id peragat, & id ipsum reperiri debet in ipsa naturâ metallicâ : Quid artem magis in natura metallica actiones & facultates naturæ metallicæ, ex se ipso depromere potest, quàm ipsum naturæ metallicæ purum ? Impurum enim & fœtulentum eiusdem naturæ, cùm sit expers actionis omnis, actiones illas producendi & perficiendi metalla, ex se ipso depromere non potest; est enim expers actionis, cùm habeat rationem materiæ, quę semper passiua est, & nullo pacto actiua, cum actio à forma dependeat, quæ semper purior pars est totius mixti, materia autẽ crassior & impurior : Purũ ergo naturæ metallicę est id solũ quod agit in naturâ metallicâ : ergo id ipsum est quod producit, & perficit metalla : ergo etiam erit Lapis Philosophorũ in genere metallico, cum Lapis Philosophorum sit ex sententiâ Chymicorum omnium, id quod perficit metalla perfecta, in verum aurum & argentum.

Si ergo in naturâ metallicâ, natura ipsa purum naturæ metallicæ assumat in viscеribus terræ, ad perficienda & producenda metalla

perfecta, Alchymia similiter quę naturam sequi & imitari habet, purum illud naturæ metallicæ assumere debet, illudque summoperè digerere & coquere debet, vt tandem ex illo arte suâ & industriâ, Lapidem suum perficiat, qui quidē neque formaliter, neque materialiter distingui potest ab ipso naturæ metallicæ puro, seu semine & principio metallico, quod quidē cùm sit substantia illa, quam natura accipit, ad argentum & aurum conficiendum, cum ipsa sola substantia reperiatur, id solum quod perficere potest metalla: inde etiam clarissimum erit, purum illud naturæ metallicæ esse substantiā, ex qua Lapis antiquorum fieri debet, cum in illa solā substantiâ, virtus, & facultas metalla perficiendi reperiatur, & naturaliter sit illi indita.

Vnde concludere possumus purum naturæ metallicæ, esse Lapidem antiquorum Philosophorum: quod omnes Alchymiæ Patres sua authoritate confirmant, asserentes Sulphur eorum quod est naturæ metallicæ purissimum album vel rubeum, esse solum id quod Philosophi accipere possunt, vt inde fiat aurum & argentum.

Experientia autem id ipsum etiam confirmat, quod in vegetabilibus omnibus, flores sint illud, ex quo solo, tanquam naturæ vegetantium purissimo, fiunt vegetantium fructus & propagatio eorum.

In animantibus item datur ſemen, quod eſt puriſſimum animantium, ex quo ſolo animantia progignuntur & multiplicantur ad inuicē: Quid ni etiam in metallicâ naturâ dabitur purum aliquid, vt in reliquis duobus naturæ generibus, ex quo & in quo fient omnes naturæ metallicæ, productiones & multiplicationes.

Qui hiſce demonſtrationibus fidem & authoritatem adhibere non poteſt, certiſſimè ad populum auritum relegari meretur, non enim ſocietati & conſilio hominum aggregari poteſt, qui rationes meras & claras, vt authoritates ac experientias cōprehendere non poteſt.

Purum naturæ metallicæ quid & quale ſit, & quo nomine vulgari inſigniatur & qua veſte induatur.

CAPVT VII.

PVrum naturæ vniuerſalis, definiuimus capite quinto & ipſum aſſeruimus eſſe ſcintillam lucis creatæ, puriſſimis elementorum omnium ſubſtantijs permixtam & vnitam, vnione tali, vt vnum homogeneum conſtituant ſpiritum mundi, & naturæ communiter à philoſophis antiquis nominatum, vaporibus & exhalationibus naturalibus, quæ ex viſceribus terræ ſurſum eleuantur, intercluſum & incarceratum.

Ex cuius definitione. Purum iam naturæ metallicæ colligere poſſumus: eſt enim etiam

eadem ſcintilla lucis creatæ puriſſimè elementorum ſubſtantijs permixta, & vnita, permixtione tali vt vnum homogeneum conſtituat ad metallicam naturam determinatum & definitũ: Definitur autem ac determinatur, dùm aduenit ſubſtantijs metallicis, & eorũ ſeminibus, ac principijs metallicis, cum quibus ſolis determinatur ad naturam metallicam: Antequam autem aduenìat ſeminibus & principijs metallicis, æquè ex eo fieri poteſt, lapis, herba, aut animal, æque ac metallum. Dùm autẽ determinatum eſt metallico principio, nihil aliud fieri poteſt ex eo, quàm metallum: Eſt enim generalis & vniuerſalis naturæ ſpiritus, indifferens ad omnia mixta: eſt enim veluti pabulũ, & alimentum cuiuſcumque ſeminis particularis, ibique ſolum determinatur ad particulare mixtum, cuius fit alimentum: Spiritus autem iſte generalis fit ex luce & elementis, & ex his ſolum nutritur & fouetur: Particularis autem cuiuſcumque rei ſpiritus, ex hoc generali ſpiritu nutritur & conſeruatur, ac conſtituitur ex ipſo & materiâ puriſſimâ particulari cuiuſcumque mixti: ita vt particularis ſpiritus naturæ metallicæ, fiat & componatur ex ſpiritu generali, & naturâ particulari metallicâ, quæ ſulphuris non vrentis imitatur naturam: hæc natura ſulphurea non vrens metallica, imprægnatur ſpiritu generali, qui vniuerſa occupat elementa ad nutritionẽ & con-

ſeruationem rerum omnium: hæc ergo terra ſulphurea imprægnata ſpiritu generali, fit particularis materia & particulare ſemen & principium metallicum, ex quo immediatè metallorum habent. Si terra illa ſulphurea ſit pura & alba, ex ea immediatè fiat argentum neceſſe eſt, cum illo ſpiritu generali puro: Si vero eadem terra pura ſit rubea, fit autem rubea, ſola coctione & digeſtione forti, in terræ concauis antris, fit ex ea immediatè aurum. Vnde perſpiciunt qui linceos habent oculos, ſulphur illud perfectè digeſtum & coctum, ſeu terram illam ſulphuream puram, albam, vel rubeam, quę cum ſpiritu generali conſtituit immediatum ſemen & principium auri & argenti, haberi non poſſe niſi ex auro vel argento, ſed cum eodem ſpiritu, qui copia ſua diſſoluit aurum & argentum in principia ſua, ſeu terram illã ſulphuream albam & rubeam & ſpiritum ſuum. Terra autẽ hæc ſulphurea originem habet ex materia elementorum pura, cui terræ virtus & energia cæteris præcellit elementis, quam quidem terram ſpiritus generalis naturæ imprægnat & coquit vi lucis ſuæ, & ignei vigoris virtute, & coquendo ac digerendo perficit, ſeparando inter coquendũ, quod naturæ ſuæ eſt heterogeneũ, quod ſolum impurum eſt, & ſeparato illo impuro, reliquum quod remanet purum, coquit ac digerit, in ſulphur non vrens album & rubeum ex quibus

digestione pura & solâ, fit aurum vel argentum: Primò sulphur non adurens album, fit ex terrâ illa pura alba, cui insunt reliqua omnia elementa, sed terra præcellit, & spiritu generali, qui eam materiam coquit & digerit continuè & leuiter in sulphur album non adurens, & determinatur hæc materia ad metallicam materiam influxu particulari Solis & Lunæ, vnde etiam ab Alchymiæ Patribus dicitur hæc natura, Sol, vel Luna, Sulphur rubeum dicitur Sol, Sulphur vero album dicitur Luna. In principio tamen creationis, à Deo solo factæ sunt rerum determinationes solâ diuisione & separatione materiæ rerum primæ.

Dum enim Deus creator omnium in principio creationis diuisit materiam illam naturæ primam, diuisione illa solâ, fecit particularia & indiuidua specierum: Vnde hæc indiuidua singula magneticam seu attrahentem virtutem habent, trahendi ad se, id ex quo facta sunt, vt conseruentur & multiplicentur in suo esse: Sic singula iuxta attrahunt spiritum illum generalem materiæ primæ, tanquam alimentum, pabulum sui ipsius, vt eo conseruentur: nihil enim est materia prima, quam elementorum omnium natura confusa, spiritu illo lucis creatæ informata & actuata. Et quia spiritus ille lucis in materia rerum prima, est multiplicationis & generationis principium, sic omnibus indiuiduis quæ ex materiâ primâ separata sunt,

virtute & potentia Dei, communicatur illa virtus multiplicationis & generationis, virtute illius spiritus qui in materia prima est generationis & multiplicationis principium: Sic multiplicatur & producuntur indiuidua cuncta naturæ, spiritu generali indiuiduato, & determinato, in eorum centro.

Sic metalla in viscеribus terræ, in eorum fodinis & antris, attrahunt spiritum illum generalem & sibi particularem faciunt, & ad sui generationem & multiplicationem determinant, & sic spiritus hic in cordibus eorum, est eorum vita, quo si priuentur dicuntur mortua metallorum cadauera. Quandiu verò fouentur tali spiritu, viua sunt, & generationis & multiplicationis virtute prædita.

Hic animaduertendum est, spiritu generali materiam metallorum fieri viuam, & generationis & multiplicationis capacem, & in materia metallica indiuiduari, & determinari ad metalla, vt videant qui Alchymiæ alumnos fieri cupiunt, quantæ sit necessitatis ad Alchymiam faciendam, cognitio spiritus generalis, absque enim ipso, nihil fieri potest in Chymia: nec spiritus particularis metallicus haberi potest, absque generali: generalis ergo est necessariò habendus, vt particularem metallicum spiritum habere valeamus.

Qua veste ergo induatur & quali corpore claudatur copiosa spiritus generalis iam nobis

est demonstrandum. Spiritus ergo generalis, cùm sit spiritus lucis creatæ, tenuissimæ & purissimæ elementorum omnium substantiæ incarceratus, nullo pacto dubitandum est, quin calore suo innato, (qui lucem assiduè concomitatur) ex materia elementorum sibi faciat corpus quoddam, quo se Philosophis ostendat & visibilem faciat, nam in sua tenuitate & subtilitate verè inuisibilis est, nihilominus tamen corpus Purum induit: Quale autem sit hoc corpus philosophis est excogitandum, quid & quale corpus produci potest, quod vbique terrarum & vbique locorum reperiatur, quod frigidum & humidum sit manifesto: occulto verò sit calidum & siccum, quod sit igneum & aëreum in occulto: in manifesto verò sit terreũ & aqueum, & nominatur nomine communi & vulgari, mercurius seu argentum viuum, quod mercurij planetæ virtutes imitetur, cum bonis bonitatem sequatur, cum malis peruertatur, in eo solo est, quicquid quæruut Sapientes, & ex quo solo haberi potest, quicquid Alchymia peroptat. Nominatur etiam infinitis aliis nominibus, ne vulgus ipsum agnoscat, & decipiatur tantis & tot vocabulis diuersis ac variis, varias res & differentes indicantibus: nolunt enim Sapientes margaritas has porcis offerre, & asinis præbere lactucas, cùm his sufficiant cardui: Vnde inter Chymicos dicitur Acetum acerrimum, Lac virginis, Sal metal-

lorum Sal naturæ. Aqua non madefaciens manus, Aqua maris metallici, Aqua vitæ, sine qua nemo mortaliũ viuere potest, & sine quâ nihil generatur & producitur in toto terrarũ orbe: hisce nominibus & alijs infinitis, Mysochimicos nostros irriserunt, & escam propriam auream, quam auidissimè exoptant, illis surripuerunt, & doctis & sapientibus patefecerunt: vt capite sequenti fiet clarius.

Quod nominum multitudine & varietate chymicum arcanum obscuratum sit stultis, sapientibus vero demonstratum.

CAPVT IX.

ARcanum chymicum, cum in vnâ solâ re consistat, si res illa sola & vnica, varijs & multiplicibus nominibus? insigniatur, quis vnicam dicet & existimabit nomina siquidem varia sunt indita rebus ad substantiam earum variam & distinctam demonstrandam: Res autem chymica sola, & vnica, ac homogenea, in substantia, cum infinitis ferè nominibus varijs ac distinctis insigniatur, quis vnam rem, & solam, & homogeneam prædicabit? varia enim illa nomina, varias substantias, variasque substantiarum proprietates indicant, & demonstrant: Et tamen Chymici Philosophi volunt, vnam & eandem homogeneam demonstrare substantiam: Non secus ac Persona aliqua, quę in theatro Comicorũ, nunc

regem

Regem, nunc Militem, nunc Seruum, nunc Fœminam, nunc Amasium repræsentat, varijs solùm commutatis vestibus: Persona tamen vnica est, & eadem: Sic res nostra chymica, varia sortitur nomina & ea induit tanquam persona comica, varias induit vestes, vt personas distinctas repræsentet. Pariter Persona chymica nostra varias induit vestes, seu nomina, vt varias & distinctas in Theatro chymico, exerceat personas: hoc Prudentibus indicat infinitam virtutem & proprietatem, eamque variam, ac distinctam, ac contrariam eiusdem rei. Quæ quidem proprietates variæ & distinctæ & inter se contrariæ non possunt meliori titulo & via demonstrari, quàm nominibus diuersis, contrarias substantias significantibus: exempli gratia, si res nostra chymica habeat virtutes & proprietates auri & argenti, plumbi, stamni, ferri, cupri & mercurij, quis eas virtutes & proprietates illi competere, meliori signaculo, indicare poterit, quàm auri nomine, argenti, plumbi, stamni, ferri, & cupri & mercurij, vocabulo, quod solùm illas virtutes demonstrat.

Cùm ergo res nostra chymica, habeat virtutes, & proprietates totius naturæ, & totam naturam vniuersalem capiat & comprehendat, vt superiùs fusè admodum demonstratum est? quis est ille qui meritò, nos reprehẽdere possit? si omnibus rerum nominibus, rem nostram chymicam insigniamus; fatui quidem & verè

insipientes, qui nullo callent mentis humanæ acumine, hoc comprehendere non possunt, nec cerebri sui capsula capere, quâ ratione detur vnum quid palpabile, & sensibus nostris comprehensibile, quod habeat virtutes rerum omnium, & quod naturam creatam absolute comprehendat integram: hoc tamen nomine spiritus animæ, mentis & terrestris Dei vocabulo, & cognomine potestatis & δύναμέος indicare & asserere voluerunt antiqui Prudentibus & sapientibus, qui non solùm cortices rerum, sed intima penetrant, auditis solis rerum nominibus, quę res ipsas intimè indicant, & demonstrant. Fatui verò Misochymici nostri, tot nominibus confunduntur, & cùm ipsa nomina conspiciant, contrarias omninò indicare substantias, & omni ex parte, ex substantia metallica, & minerali eliminatus, & nihil virtutis metallicę inde elici posse, ad transmutationem metallicam inseruiens, statim clamant & buccinant in Chymicos, eosque fatuos & veriſſimè stultos, proclamant, quòd tanta ridicula credant. Hinc ortum est inter ipsos, Lapidem Philosophorum solùm reperiri in capite Chymicorum, quod plenum stultitiâ ipsorummet stultitia censet: At Historiæ infinitę, & rationes innumerabiles, argumenta infinita, authoritates grauiſſimorum Authorum, qui non solum sanctitate, & morum pietate summâ, sæcula præterita exornarunt: Eos ipsos merâ &

purâ puta ſtultitia, & craſſiſſima ignorantia confundunt, veluti eſt Sanctus Thomas, Sanctus Albertus, Beatus Lullius, Morienus Romanus, Hermes Triſmegiſtus & alij infiniti ipſoſmet ſuâ authoritate pudore perfundũt, adeo vt in ipſos facillimè concludere valeamus Arcanum Chymicum nominum multitudine, & varietate, ſtultis & inſipientibus obſcuratum fuiſſe, ſapientibus verò clariſſimè demonſtratum.

Arcanum Chymicum ſiue Lapis Philoſophorum, quibus conſtat.

CAPVT X.

LApidem Philoſophorum vnicâ conſtare phyſicâ ſubſtantiâ aſſeruerunt omnes Philoſophi, quam Mercurium nomine vocarunt, non tamen vulgarem & communem mercurium ſeu argentum viuum communiter vendibile, intellexerunt, ſed eum ipſum mercurium ſupra deſcriptum, ex quo ſolo immediatè metalla omnia, & ipſemet Mercurius vulgaris in viſceribus terræ producuntur: Mercurius ergo eſſe, ex quo ſolo fiunt metalla, & Lapis Philoſophorum, ſi phyſicè ſcrutetur, non vnam ſimplicem inueniemus ſubſtantiam, ſed compoſitam ex quatuor elementis & tribus rerum principiis: Vnde aſſerere ſolent Alchymiæ Patres quatuor Elementa, componere Lapidem eorum, & tria principia, & vt ſtultos

irrideant, & ab arte eorum excludant, dicere solent: Lapis noster & Arcanum componitur ex vna re, ex bina, vnde rebus dicitur, ex tribus, ex quatuor, & sic contradictoriis suis dictis & logogriphis stultos illos illudunt: & tamen Sapientes alloquuntur, & illis compositionem mirandam Lapidis ostendunt. Nam verè primò, & immediatè res illa, quæ componit Lapidem Philosophorum est verè vna, quæ tamen in masculum & fœminam diuiditur, vnde ex bina re constitui asserunt, nam in illa sola re seu Mercurio Philosophorum, est agens & patiens, quæ masculi & fœminæ rationem habere possunt, & quamuis hæc vna res diuidatur in masculum & fœminam, in agentem & patientem, in materiam & formam, nullatenus amittit suam vnitatem.

Sic etiam quando diuiditur in tria principia: in Mercurium putà, Sal & Sulphur, nullatenus hæc diuisio vnitatem compositione destruit, sed quibus constet hæc vnitas, sapientibus iudicatur. Multò minùs vnitatem hanc simplicis substantiæ destruit & soluit, quatuor elementorum compositio, cùm omnia naturæ mixta etsi simplicia & homogenea sint, ex communi & vulgari scientiâ & doctrinâ, ex quatuor constent elementis, & nihilominus vnum sunt mixtum simplex & homogeneum, quia mixtio perfecta cum generatione & productione ex quatuor illis elementis vnum facit & constituit.

Hanc mirandam naturæ mixtionem & ex mixtione vnionem miro ænygmate ostendunt Philosophi antiqui Alchymiæ Professores, asserendo, omnia naturalia & præcipue Lapidem & Arcanum eorum esse 1. 2. 3. 4. quæ simul iuncta & Arithmeticè connexa decimum numerum constituant, qui hisce figuris Arithmeticis componitur, & sic cartis exaratur, 10. vnitatem cum circulo depingendo & sic solo ænigmate, totum arcanum Chymicum declaratur. Numeri hi 1. 2. 3. 4. totam compositionem mysticam & veram Lapidis Philosophorum demonstrant, vt iam declaratum est. Dùm verò hos numeros iunctos ostendunt, & decimum numerum constituere indicant: hoc signo Sapientibus demonstrant, vnam hanc materiam simplicem & homogeneam simplici coctione, & circulatione, esse coquendam vnitate & circulo vnico indicant & demonstrant. Et sic hos numeros 1. 2. 3. 4. materiam putà, quæ vna bina, terna, quaterna dicitur, variis rationibus ad vnitatem redigendam esse, sola circulatione suæ simplicis rationis.

Alij autem obscuriùs loquendo dicunt, vt hanc miram compositionem & coctionē ostendant: fac ex vno binarium, ex binario triangulum, ex triangulo quadrangulum, & ex quadrangulo circulum & totum habebis magisterium. Sic stultos nostros illudunt & ænigmatibus suis, ab arcanis suis excludunt, & Sapien-

tes, Alchymiæ alumnos nimis loquendi suis rationibus & formulis, ad arcana sua perscrutanda alliciunt.

Quis & qualis sit Philosophorum Mercurius ex quo componitur eorumdem Lapis.

CAPVT XI.

DIutissimè insudarunt quam plurimi Philosophorum ad perscrutandam naturam, & qualitatem Mercurij Philosophorum: cùm enim in eo solo consistat totum arcanum Chymicum: ideo antiqui Philosophi Chymici, summâ inuidiâ erga posteros suos affecti, totis animi viribus hunc Mercurium occultarunt, ne multi hominum qui brutorum more viuunt, tanquam indigni, fierent tantæ naturalis gazæ participes: Est enim hæc notitia, solius Dei verum Donum: Deus enim, inquit, Morienus Heremita Romanus, confert hanc diuinam scientiam suis fidelibus & seruis, quibus eam, à primæua rerum natura conferre disposuit, sua mirabili fortitudine: Itaque in hac sola scientia, non est possibile aliquid in ea scire, nisi per Dei ipsius demonstrationem: Nec etiam aliquid consequi possunt in ea Alchymistæ, nisi Deus eos consequi illud præiudicauerit, nec quicquàm in Alchymia retinere valent, nisi per fortitudinem à summo Deo, liberi diuinitùs collatum sit.

Tanta summi Authoris authoritate confisus,

de hoc Arcano scribere ausus sum, nec timeo Arcana hæc, quæ summa sunt, vulgaria fieri; & omnibus patefieri, nisi solis, quibus iam Deus destinauit hęc fieri manifesta: Alios enim, nescio qua fati occulta ratione, excluſos videbimus. Quocirca Mercurius Philosophorum, quâ poterimus industriâ declarabimus, vt notus fiat solis Deo fidelibus seruis. Mercurius Philosophorum, est humidum radicale metallicum, ex quo immediate, metalla omnia in fodinis terræ solent naturaliter fieri. Illud autem humidum non est Aqueum & manus madefaciens, sed est humidum cum æquali siccitate concretum, vt siccum contemperet humidum, vt non adhæreat tangenti, sed currat in superficie plana superficiei non adhærendo: vnde terminatur suo ipsomet termino, non alieno, vt aqua: Perinde nullo pacto est aqua quamuis aqua dicatur: Vnde quicumque mercurium hunc manus non madefacientem, in aquam manus madefacientem conuertere sciuerit, non perinde errauit, quia tunc temporis penetrabilior est, & ad dissoluenda metalla aptior: Corpus siquidem Mercurij nostri, siccum est, & nullo pacto manus madefaciens, sed illud in aquam metallicam est conuertendum, vt agat potentiùs in metalla perfecta, eaque reducat in materiam primam metallorum, quæ est terra quædam sulphurea non adurens, cum humido suo metallico connexa: Naturam enim

in hoc potissimùm arcano imitari debemus, quæ solam aquam accipit mineralem, eamque coquit & digerit in terram sulphuream non adurentem, quam immediate conuertit in metallum purum vel impurum secundùm puritatem illius terræ sulphureæ non adurentis, quæ terra sulphurea non adurens, est legitimus Mercurius Philosophorum, manus non madefaciens: hæc terra reperitur in metallis omnibus: Sed cum humido suo, ex quo ortum priùs habuit, est elicienda, & sic habes ex illa terra & humido suo, humidum radicale metallicum, ex quo metalla fiunt, & in quo solo suauiter & naturaliter dissoluuntur, veluti sal ipsum, in aqua dissoluitur communi: quod nobis est iudicio, metalla omnia originem duxisse ex illa aqua, quam natura parit siccam & aridam, & nos arte nostra, illud siccum, in humidum conuertimus; hinc clamant Philosophi metalla reducenda esse in Mercurium per Mercurium, hoc est in aquam per aquam, si ad opus & arcanum eorum peruenire cupiamus.

Vnde colligitur clarissimè hinc Mercurium non esse Mercurium vulgarem, quamuis in vulgari reperiatur, vt asserit Geber: Mercurius, inquit, noster, non est Mercurius vulgaris, sed est tenuissima & subtilissima pars eius, arte nostra ad talem tenuitatem & subtilitatem deducta. Nullo ergo pacto dubitare debemus, Mercurium Philosophorum, ex quo Lapis &

arcanum eorum fieri debet, esse Mercurium seu argentum viuum, seu aquam metallicam, aut humidum radicale metallicum, quæ omnia idem sunt, & argentum viuum nostrum coindicant; An autem sit argentum viuum commune, quod apud mercatores communiter quotidie diuenditur, iam nobis est perscrutandum, quod sequenti fiet capite.

An Mercurius Philosophorum & Vulgi inter se differant.

CAPVT XII.

MErcurius vulgi, & Philosophorum, cùm habeant ambo naturam mercurij & essentiam, quamplurimos Alchymistas torserunt, vt eorum differentia ab ipsis intelligeretur: hæc autē differentia intelligi nō potest ab his, qui initiati non sunt arti Alchymiæ, & qui scripta Chymicorum non perlegerunt, & in his euoluendis diutissimè non insudarunt.

Alchymia triplicem, imò multiplicem habet mercurium, etsi vnicum solum habeat, præter illum mercurium vulgi, qui & suus etiam dici potest, cùm eo potissimùm tanquam seruo suo fideli, & carissimo vtatur, habet & mercurium ex hoc communi & vulgari eductum, & præpuratum: habet & mercurium ex corporibus metallis eductum, habet & mercurium coctum & perfectissimè digestum in Sulphur album &

rubeum, qui est proxima materia & immediata substantia, ex qua fieri debet Lapis, & ex qua immediata fiunt metalla cuncta in visceribus terræ: habet & aquam mercurialem, qui & mercurius dicitur, quo potissimùm metalla in materiam primam reducuntur: hos omnes mercurios habet Alchymia. Quis autẽ eorum omnium sit Mercurius Philosophorum, qui lynceos habent oculos, & stupido non sunt genio præditi, satis dijudicare possunt: Cùm enim lapis Philosophorum, ex mercurio purissimo, metallico, componi debeat? Quis verò mercurius inter nominatos, purissimus sit, perquirenti est iudicandum, vt ipsum eligat pro mercurio Philosophorum, & ipsum distinguat à mercurio vulgi, qui multis excrementis scatet, quibus arte Chymicâ spoliari debet, vt ad puritatem, quam optat, Alchymia deueniat, & eatenus dicatur & censeatur Mercurius Philosophorũ. Mercurius siquidem vulgi suis excrementis turgens, & nimia frigiditate & humiditate abundans, inutilis est nostræ Philosophiæ; & natura etiam eo non vtitur immediate ad facienda sua metalla, imò ipsemet mercurius vulgi sit à natura ipsa alio mercurio, qui toto cœlo distinguitur à mercurio vulgi, nam mercurius vulgi est corpus metallicum, alius verò mercurius est merus spiritus, ex quo tanquam semine fiunt metalla & ipsemet mercurius vulgi, vnde in ipso mercurio vulgi latitat

ſpiritus ille & maximâ in copiâ, & facilis eſt extractionis, modò ſpiritum generalem, ex quo fiunt omnia & conſeruantur, habeas: huius beneficio, ex mercurio vulgi, & metalla perfecta educere potes mercurium, nobis in Alchymia neceſſariũ, qui eſt in forma aquæ pinguis, & ita pinguis eſt, vt pinguedo videatur in aquâ puram ſtillatitiam, mutatur copia & abundantia ſpiritus generalis, quæ hanc mineralem pinguedinem volatilizat & ſtillare facit copiâ ſuâ, & mutat in aquam veram, madefacientem manus, acetoſam valde & ponderoſam & pinguẽ, & hæc aqua ſi habeat copiam metalli in ſe ſoluti, conuertitur in Sulphur naturæ ſeu terram foliatam, quæ quidem terra ſimplici lentâ & continuâ coctione conuertitur in lapidẽ Philoſophorum.

Sic ex mercurio vulgi, arte noſtra habere poſſumus, quicquid optat Alchymia ad lapidẽ perficiendũ, vnde clamãt Chymici fere omnes: eſt in mercurio quicquid quærunt ſapientes, quia ex mercurio ſiue vulgi intelligant mercurium, ſiue generalem ſpiritum mundi & naturæ, habemus quod Alchymiæ eſt neceſſarium.

Vnde concludere facile poſſumus inter mercurium vulgi & Philoſophorum differentiam ſummam eſſe, nec prodeſſe poſſe mercurium vulgi, ni à mercurio Philoſophorũ præparetur & in aquam pinguem, viſcoſam, & ponderoſam conuertatur, vel in ſulphur naturæ, quod terram foliatam dicunt Chymici.

Quâ methodo & Viâ præparandus sit vulgi Mercurius, vt Philosophorum habeatur.

CAPVT XIII.

DIfficilis est admodùm hæc præparatio, & nullibi reperitur apud chymicos, nisi mysticè, & ænygmaticè: Geber imprimis Alchymistarum summus, & subtilissimus, clarissimè docere videtur hanc præparationem: sed mystica omnino est, & ænygmatica, dum asserit cum metallis perfectis, cum quibus maxime conuenit perfectissime fieri, ipsum mercurium sale & aceto, optime lotum linteo & corio transmissum cum auro vel argento amalgamando, siue perfectissimè vniendo, & permiscendo; ita vt fiat vna massa mollis veluti butyrum, quod quidem omne retritæ vitreæ est immittendum & cineribus igne salis forti distillandum, vt argentum viuum separetur per distillationem à metallis perfectis, sic tota impuritas & crassities argenti viui separatur ab ipso, & remanet in fundo vasis impuritas cum perfectis metallis, ex quibus igne solo per fusionẽ metallorum & liquationem eorum delenda est hæc mercurij impuritas: hoc septies peragendum est, & iterandum, aut vndecies, vt melius depuretur mercurius, & eius clarissima substantia & cœlestina habeatur. Quod & Sendiuogius noui luminis Auctor, argutè admodũ, & astutè demonstrat, tractatu suo nouo. Pro-

ptereà, inquit, vnum datur metallum, quod habet potentiam alia consumendi; est enim ferè vt aqua eorum & ferè mater, vnica tantùm res, humidum radicale Solis videlicet, & Lunæ, resistit ei, & melioratur per illud: sed vt detegã, Chalybs vocatur, si vndecies coit aurum cum eo, emittit suum semen, & debilitatur ferè ad mortem vsque; concipit Chalybs, & generat filium patre clariorẽ: huc vsque Sendiuogius, quibus verbis satis admodùm clare demõstrat prudentibus & sapientibus huiusce scientiæ, præparationem mercurij vulgaris cum auro vndecies coëundo, vt mercurius imprægnetur seminali aurea virtute, & deponat feces suas & gradum calidiorem, & sublimiorem acquirat, vt hinc generet & producat filium patre clariorem, qui est aurum & semen nostrum, tincturâ aureâ turgens, & exuberans, & sic est auro patre clarior filius. Est & alius modus præparandi mercurium, quem docet etiam Geber, in suis libris summæ perfectionis, vbi asserit mercurium esse purificandum suis omnibus superfluitatibus, quibus scatet, cum rebus omnibus, cum quibus minime conuenit & nullam habet affinitatem, & conuenientiam vt sunt sal, & vitrum: sal ergo purum, & purum vitrum sunt mercurio admiscenda, tanquam illi non conuenientia, & mercurius inde est sublimandus, & igne forti eleuandus, vt in vitro, & sale deponat feces suas, innatas & illi connaturales:

idque multoties est iterandum, donec mercurius ad summum nitorem deueniat, & albissimum quasi lac appareat. Quod & Sendiuogius astute admodum demonstrat in suo dialogo de Sulphure: Vbi fontem fingit reperijsse, vbi Sal & Sulphur magna contentione, inter se discurrendo loquebantur, & tandem ex verbis, ad verbera venerunt, vbi sal Sulphuri inflixit magnum & lethale vulnus, ex quo vice sanguinis, exorta est aqua albissima veluti lac, quæ quidem aqua, flumen maximum tandem fecit, ex quo solo, Diana & Apollo, balneum proprium suum fecerunt, & in quo mortui sunt, sed ex morte illa tandem surrexerunt, & vitam immortalem habuerunt.

Hoc figmento Sendiuogius chymicorum acutissimus, præparationem mercurij nostri indicat, quę cum sale fieri habet: non enim hic quiescere debemus postquam mercurium vulgarem cum sale præparauimus, & ad puritatem summam conduximus, non adhuc est mercurius vulgaris ad artem nostram præparatus, sed cum mercurio Philosophorum, seu aquâ eorum viscosâ pingui & pōderosâ est soluendus: & ad materiam primam reducendus: Tunc ad artem nostram sufficienter est præparatus, eo solo potest fieri Lapis Philosophorū: citiùs tamen fiet, si cum ipso aurum coniungatur, & vnà in materiam primam reducatur; coagulatur enim eo pacto citiùs & ad vltimam fixatio-

nem deducitur. Aliæ autem ſupra citatæ ex authoribus mercurij præparationes, ſunt tantũ præparationes, quę præcedere debent hanc vltimã noſtrã præparationẽ, & ſunt viæ ad hanc. At vt conferat ad artem noſtram mercurius vulgi: primò præparandus eſt vt purus puluis fiat, nitidus, & candidus. deinde vltima cum materia prima noſtra, reducendus eſt in materiam primam, ex qua ipſemet ortum habuit, cum reliquis alijs mettallis, & ſic fit aqua clariſſima & albiſſima veluti lac, in qua ſola Sol & Luna debent balneari, mori, & tandem reſurgere, in corpora immortalia, hoc eſt tanta virtute prædita, vt vitam ſeu perfectionem metallis mortuis & imperfectis communicent & inpertiant: Itaque his omnibus declaratis cum Suctemio cõcludemus, ſi mercurij vulgaris præparationem notam habeamus, alium Philoſophorum mercurium non eſſe perquirendum, nec aliam aquam vitæ metallicam & mercurialem, nec aliam lapidis chymici aquam. Quoniam vulgaris mercurij præparatio hæc omnia in ſe continet: modò cum mercurio Philoſophorum & aqua eorum, in mercurium & aquã Philoſophorum conuertatur, & ſic colligere debemus dari alium mercurium præter vulgarem mercurium, quæ artis noſtræ principium eſt, & finis, quod ſequenti capite acutè diſquiretur.

An detur alius in rerum natura mercurius, præter vulgarem mercurium, qui Lapidis Chymici sit principium.

CAPVT XIV.

ASserunt omnes vsque ad vnum Philosophi, in corpore quodam, certum quendam latitare mercurium extractum non difficillimum operis eorum & arcani, veriſſimum & tutiſſimum principium: vnde veriſſime clamant, mecurius noſter non eſt mercurius vulgi, nec ex eo vllo pacto educi poteſt arte noſtra Chymica, niſi per mercurium iſtum Philoſophorum reducatur & conuertatur in ipſum: nam mercurius Philoſophorum reducit omnia metalla, & perinde ipſummet mercurium vulgi, in mercuriũ Philoſophorũ. Toto ergo cœlo differunt argentũ viuũ philoſophorum, & argentũ viuum vulgi. Noſtrũ enim argentum viuum diſſoluit perfectiſſimè aurum & argentum, & ipſummet argentum viuum vulgi, ita vt numquam amplius, poſtquam diſſoluta ſunt, reducantur in naturam ſuam, & ita adhæret metallis diſſolutis, vt nunquam ſeparetur ab ipſis, & hoc eſt verè adhærere, cùm nunquam relinquat metalla, cum quibus coniungitur, mercurius autem vulgi, nullo pacto diſſoluit metalla, nec aurum nec argentum, quia non conuertit ea in materiam ſuam, vt conuenit naturæ diſſoluentis, nam verè diſſoluens

dens vt perfecte dissoluat, debet conuertere & mutare in naturam suam & essentiam id omne quod in ipso dissoluitur, argentum autem viuum vulgi, etsi metalla aurum & argentum deglutiat, non tamen dissoluit ea, eò quòd non conuertantur in naturam & essentiam dissoluentis, sed manent integra in ventre suo deglutita, vt patet ipsamet experientiâ, nam facili viâ per ignem separatur argentum viuum vulgi ab ipsis metallis deglutitis, & manēt ipsa metalla integra, infecta tamen corruptibili & nigro sulphure mercurij, quo turget ipsemet vulgi mercurius.

Mercurius verò Philosophorum verus & legitimus eorundem seruus, dum coniungitur auro & argento, ipsa vere dissoluit, & in naturam suam conuertit, ita vt nunquam amplius in aurum & argentum reduci valeant, quia in argenti viui naturam mutata sunt. Præterea inter dissoluendum ipsa metalla, tanta caliditate, ipsa metalla perfundit, vt manu ipsa, vas in quo dissoluuntur tenere valeamus, & sulphure puro, & nitido, albo vel rubeo, quo turget, illa illustrat: sic mercurium Philosophorū calidum humidumque putamus, vulgarē verò frigidum & humidum: mercurius item Philosophorum coctione & digestione debita in fixum, album, vel rubeum sulphur facillimæ fusionis, conuertitur. Mercurius autem vulgi coctione & digestione sua, in puluerem citrinum

vel rubeum redigitur, & in sulphur combustibile, & corruptibile, fusionis incapax, & nullius vtilitatis, ad metallicam transmutationem conuertitur: contrà verò mercurius Philosophorũ in sulphur non adurens, & incorruptibile commutatur, metallicæ transmutationis solum & vnicum fundamentum.

Quale ergo erit corpus, in quo copiosè admodùm natura ipsum mercurium Philosophorum occultauerit, si habeas ingenium, satis supra tibi id demonstratum est, & adhuc tibi demonstrabitur; si corpus aliquod, quod propriè non est minerale, nec vegetabile, nec animale, tibi notum sit, vbi natura tamẽ sulphur metallicũ, mercurium & sal simul purissimè & copiosè coniunxerit, quod oculis tibi semper est peruium, & præ manibus tuis quotidie habes, & sine eo viuere non potes: si hoc naturale corpus, tibi notum sit, habes perfectissimam cognitionem corporis, ex cuius ventriculo elicere potes, verum & purissimum Philosophorum mercurium, qui operis nostri principium est, & duplici viâ educi potest. Prima & facilior est cum fortissimo igne & summa violentiâ: Secunda est difficilior, & fit cum digestione & putrefactione in fimo equino, & sic ea digestione per longum tempus aperitur corpus, & dissoluitur in verum oleum Philosophorum, & mercurium eorundem.

Sunt multi Chymicorum, qui corpus istud

quo continetur eorum Mercurius, Saturnum vocant, quod Saturni habeat qualitates, & conditiones: Alij vocant Solem, alij Lunam, alij mercuriũ. Quod Solis, & Lunæ, & mercurij habeat conditiones: Alij alijs nominibus ipsũ insigniunt, quòd rebus omnibus ferè conueniat, & naturam & essentiam earum intrinsecè contineat, Sol ipsum producit & Luna, vnde Sol dicitur eius pater, & Luna eius mater: Sol potissimùm calore suo & radijs suæ lucis, ex aqua ipsum educit, & Luna suâ humiditate, ipsum conseruat & fouet, & insinuat omnibus elementis, vnde & igni, aëri, aquæ, & terræ copiosè reperitur tanquam anima propria & spiritus eorum, sine quibus scilicet spiritu & animâ, ipsa elementa, Relollacea sunt, ex Paracelso, hoc est infertilia, & virtute vegetabili denudata, nullum tamen vegetabilium est, quamuis vegetabilis virtutis sit fundamentum, & verum & vnicum principium: Sic nullum animalium est, nec vllum mineralium, & tamen animalis vitutis & mineralis est verus fons & Scaturigo. Hac solâ descriptione notitiam verã habere poteris mercurij Philosophorum, cuius solius ope, & industriâ supremum artis Chymicæ fundamentũ obtinebis: eo autem ignoto & ab opere tuo absente, nihil tibi proderit aurum, & argentum & mercurius vulgi; ea enim ipsa nihil in Alchymiâ prosunt, nisi reducantur ex authoritate Aristotelis in materiam primam.

non possunt autem reduci, absque mercurio Philosophorum, qui est solus, vera prima materia metallorum.

His ita declaratis concludere possumus, dari quidem mercurium, præter vulgarem nostrum mercurium in rerum natura per se à natura creatum, qui Lapidis physici principium & fundamentum est, qui metallorum omnium habet naturam, & tamen nullum metallum est, & mercurij vulgaris imitetur essentiã, & tamẽ non est ipsemet vulgaris mercurius, nec ex eo educitur; nihilominus mercurius vulgaris, aurum & argentum sufficiunt cum ipso mercurio Philosophorũ putà ad Lapidem Philosophorũ perficiendum; quod capite sequenti dilucidè admodùm discutiemus, vbi secreta artis quam maxima declarauimus, & naturam & essentiam nostri mercurij lucidiùs adhuc demonstrabimus in gratiam filiorum Artis: Mysochymicos tamen excludemus, cùm horum secretorum sint incapaces, & indigni propter eorum incredulitatem.

An solus vulgi mercurius præparatus sufficiat ad opus Chymicum perficiendum.

CAPVT XV.

GEber Philosophorum doctissimus, & Chymicorum primus in prima parte libri secundisuæ summæ perfectionis, nobis intrepidè asserit: mercurium in intimis suæ

ſubſtantiæ ita perfectum eſſe, vt metallorum omnium vincet ac ſuperet puritatem ac nitorem: Sic enim loquitur: Quia igitur argentum viuum propter nullas, exterminationis ſe in partes, compoſitionis ſuæ diuidi permittit, quia aut cum tota ſua ſubſtantia, ex igne cecidit, aut cum tota in illo permanens ſtat: notatur in eo neceſſario perfectionis cauſa. Laudatur igitur benedictus Deus, & glorioſus altiſſimus, qui creauit illud, deditque illi ſubſtantiam, & ſubſtantiæ proprietates, quas non contigit ex rebus vllis in natura poſſidere, vt in illa poſſit inueniri hæc perfectio, per artificium aliquod, quod in illo inuenimus potentiâ propinquá: Ipſum enim eſt, quod ignem ſuperat, & ab igne non ſuperatur, ſed in illo amicabiliter requieſcit eo gaudens: huc vſque Geber noſter, quo nihil clarius dici poteſt, vt hinc colligamus, mercurium præparatum ſolum ſufficere, ad artem Chymicam perficiendam: Quid ni etiam ſufficeret, cùm & perfectionem metallicam in ſe ſolo recludat? natura ſiquidem quã ſemper in arte Chymica imitari debemus, hanc puritatem & perfectionem, quam mercurius continet, ſolet ſuſcipere, ad aurum perficiendum; non enim aliud ſuſcipit, nec aliud ſuſcipere poteſt, præter mercurij puriſſimam ſubſtantiam, quæ connaturalem habet, & innatam, ſulphuris non adurentis fixi ſubſtantiam, & vnum & idem ſunt, in vna, & eadem ſub-

ſtantiâ homogeneâ, ſubtiliſſima ſiquidem argenti viui ſubſtantia, ad fixionem deducta, & puritas eiuſdem & ſubtiliſſima ſulphuris non adurentis materia fixa, tota ipſius auri materia eſt eſſentialis, & nihil eſt aurum, quàm mercurius purus & nitidus, ad fixationem ſummam digeſtione conductus: ſi ergo principia materialia & formalia mercurij, in auro reperiantur: aurum formatum à natura ex ſimilibus principijs, & elementis immediatis fatendum eſt, & in arte Chymica, eadē principia deſumi poſſe, æquè ex mercurio ac auro cenſendum eſt: Eadem autem principia in auro & in mercurio reperiri, probat experientia: Quòd aurum ſolum inter metalla, magis attrahat mercurium, & mercurius aurum, quam reliqua omnia, hinc clariſſime probatur, aurum eſſe eiuſdem naturæ cum mercurio, & mercurius cum auro; ſi enim non eſſent eiuſdem naturæ & ſobolis, non ita ſe amarent, & inuicem ſe traherent; amor enim ex ſympathiâ ſubſtantiæ, vt odium, & diſcordia ex antipathiâ & diſpari ſubſtantiâ ortum habent.

Mercurij ergo puriſſima ſubſtantia, eſt ſola à qua perficitur, aurum. Ergo ſi aurum in materiam primam redactum ſufficiat ad tinĉturam auream perficiendā: ergo etiam & mercurius, cum vnius, & eiuſdem naturæ & eſſentiæ reperiantur aurum & mercurius.

His ita demonſtratis alacriter concludere

possumus mercurium vulgi, ritè præparatum nobis omni ex parte sufficere, ad opus Chymicum absoluendum, & perficiendum, dico ritè præparatum: nam nisi ritè præparatur inutilis est omnino. Præparatur autē rite & quàm optimè, si in sulphur album vel rubeum deducatur, deducitur in tale naturale sulphur, per solutionem ipsius mercurij, per aquam nostram ponticam, viscosam, & acetosam, quæ educitur ex primâ rerum materiâ; cogita autem qualis sit hæc rerum prima materia; hæc enim nota, nota tibi erit tota Alchymia, tibi autem innotescet prima materia, si materiam rerum vltimam cognoscas; quod enim vltimum est in resolutione rerum, primum esse necesse est, in earundem rerum compositione.

Quid sit illud purissimum mercurij, quod metalla & opus Chymicum perficit.

CAPVT XVI.

PVrissimum illud mercurij, quod metalla & opus Chymicū perficit, nihil aliud est, quàm purissima aqua, & purissima ac subtilissima terra, sulphurea non adurens, quæ in compositione mercurij reperiuntur, in illa purissima aqua, & subtilissima terra, quæ inuicem inseparabiliter connexa sunt, in corpore mercurij: reperitur etiam scintilla illa lucis creatæ, quæ totum corpus mercurij animat & actuat, tanquam eius veriissima forma: illa est quæ ca-

lore suo viuifico, & non adurente, mercurium constringendo, coagulat, & tandem figit in perfectissimum argentum & aurum: illa est quæ dicitur in mercurio sulphur perfectum & non adurens, sed omnino viuificans, & ignis verus naturæ metallicæ, quo percoquuntur, & digeruntur metalla, ad perfectionem metallicam. Quam scintillam lucis creatæ, ocultarunt summoperè omnes Philosophi, vt causam efficientem metallorum & artis Chymicæ fundamentum verum & vnicum occultarent: quam quidem scintillam lucis creatæ, ex radijs solis surripiendam, nonnulli Chymicorum consuluerant, & Promotheum imitari nos docuerunt qui illam lucis scintillam ex curru Solis & eius rotis surripuit, & mortalibus hominibus communicauit.

Prometheus autem nihil nobis aliud significat, quam aurum vulgare, quod verus est Prometheus, qui scintillam lucis creatæ, seu ignem naturæ, sibi surripuit, ex curru solis seu ex eius rotis, hoc est ex eius influxibus & radijs, & propter hoc cœleste furtum, Prometheus alligatus fuit lapidi, & Aquila illi adnexa fuit vt rostro suo, cor eius perpetuò comederet. Sic pariter aurum debet lapidi, hoc est rerum primæ materiæ alligari, quæ quidem materia prima lapidis nostri nomen habet, vt eius mercurius siue humiditas, quæ & aquilæ nomen habet, internum cor auri, hoc eius essentiam co-

medit, & in naturam ſuam conuertat : & ſic perficitur opus noſtrum; quod ſub fabulæ Promethei cortice obtegitur : Illud ſolum puriſſimum eſt mercurij, quod in centro eius, & capſula cordis eius coërcetur, quod ſolum ex natura & eſſentia auri eſt, cùm ipſum aurum inde factũ fuerit, perinde quoque ex mercurio vulgi ac ex auro cõmuni elici poteſt arte noſtra, ita vt ambo permiſceri poſſunt, & cũ aqua noſtra reducenda ſunt in materiam noſtram primam, ſicque tria illa fiunt vnum nobis vtile, & facili viâ in vnum rediguntur coctione & digeſtione noſtra, quod ex vná & eadem fiant & componantur ſubſtantiâ, in viſceribus terræ.

Iſtud autem puriſſimũ auri & mercurij, quod arte noſtra Chymica ex ambobus elicitur (ope & induſtriâ materiæ primæ, quam etiam arte noſtra, in aquam puram & cœleſtem præparamus) nihil aliud eſt, quam puriſſima terra ſulphurea non adurens, & clariſſima, & limpidiſſima aqua, quæ in ea compoſitione reperiuntur: In terra ipſa eſt ignis, & in aqua eſt aër: hinc in compoſitione eorum, quatuor elementorum naturæ reperiuntur, quæ quidem animantur & actuantur ſcintillâ illa lucis creatæ, quæ elementa permiſcet, & permiſcendo & vniendo ea, vnum ex his omnibus facit: Sed primò beneficio & auxilio illius lucis creatæ, agunt inter ſe elementa, vt principia rerum immediatè producant, ex quibus inde productis fiunt in-

diuidua rerum: sequenti methodo & viâ: In primis igitur ignis elementorum omnium actissimus vt ita loquar, si Chymico philosopho ita loqui permissum sit, agit in aërem, & ipsum coagulare tendit, virtute aliorum infimorum elementorum, quæ in aëre reperiuntur: nam omnia elementa, elementata sunt, alioquin in se agere non possent, quod simplicē in se haberent potentiam, & perinde æqualem: Ignis ergo in aërem agit, & humiditatem illius consumit, & apparere facit quod terræ est, substantiæ, & spissitudinis reliquorū elementorū, vnde coagulatur in sulphur, in sulphur siquidē principiū naturale, in quo sunt quatuor elementa, virtute lucis igneæ & cœlestis coagulata & permixta, in quo principio prævalent ignis & aër, sed ignis non adurit, sed viuificat & conseruat. Deinde aër agit in aquam & ipsam coagulat, humiditatē illius desiccando & consumendo, vnde frigiditas illius augetur, & introducitur innata frigiditatis siccitas, & sic sal producitur principium putà naturale, quod res omnes corporificat, & visibilia facit ratione corporis quod producit. Deinde aqua in terram agit, & producit mercurium: ipsam dissoluendo, & reliqua elementa quæ in terra sunt, amatizando vt ita loquor, hoc est æqualia faciendo in pondere, & actione; ita vt nullum eorum prævaleat in compositione & mixtione mercurij. Terra autem, cùm non habeat

aliud elementum, in quod agat, non produxit aliud principium, sed manet sine productione, & recipit tantum in se, omne illud quod ex alijs elementis in ea producitur, & nutrit & fouet, quod productum est in ipsa, tanquam vera nutrix. Et sic producuntur ex elementis principia rerum, quæ vt clariùs intelligantur, & perfectiùs ab omnibus Chymiæ alumnis, vt habeant principiorum naturam notam & manifestam illis omnino necessariam: capite sequenti principiorum naturalium compositionem, seu ex elementis productionem clarissimè demonstrabimus. Et sic videbimus, quid sit purissimum Mercurij, metalla & opus Chymicum perficiens.

Principia naturalia quid sint, & quâ viâ, ab elementis producantur.

CAPVT XVII.

MVlta diximus de principijs naturalibus rerum omnium in genere in Panchymico nostro, quæ quidem vt ab omnibus Philosophiæ alumnis percipi possint, non illis est imaginandum: Principia rerum naturalia, res esse aliquas separatas, distinctas & per se visibiles, sed vnum quid esse homogeneum & simile sibi ex omni parte, omnino inuisibile & occultum in centro rerum, & in intimis rerum thalamis, quod quidem vt consideratur & percipitur calidum & igneum

quid, cœleſte & æthereum, dicitur Sulphur non adurens, ſed viuificans & conſeruans, cùm verò idem ipſum conſideratur & percipitur vt humidum quid, & aëreum dicitur mercurius: cum verò idem ipſum conſideratur vt quid ſiccum & terreum, dicitur Sal. Non tamen hæc tria, res ſunt ſeparatæ & inter ſe differentes, ſed vnum & homogeneum quid conſtituunt, in quo calidum innatum rerum omnium, quod dicitur Sulphur, & humidum primigenium, quod dicitur Mercurius, & Siccū naturale, quod dicitur Sal, corpus conſtituēs & rem apparere faciens reperitur: ad vnum iſtud homogeneum, & trinum conſtituendum concurrunt quatuor elementa: vti ſuperiùs demonſtratum eſt: ignis in aërem cadit, & Sulphur conſtituit, & iſtud ignis & aëris in aquā cadit, & delabitur, & ſalē facit, & iſtud ignis & aëris & aquæ in terrā cadēdo, Mercuriū cōſtituit, & hæc omnia in terra quieſcunt: vnde terra, matrix & nutrix eſt illius ſubſtantiæ, quæ dicitur ſpiritus mūdi & naturæ, qui tria rerum principia ſupra declarata, in ſe complectitur ex mundi terræ matrice, cālore naturali eius, ſurſum vndique fertur, & per poros terræ ſublimatur, vt res omnes producat, & conſeruet, quæ in terræ gremio reperiuntur: Sic & metalla producuntur in viſceribus terræ: Elementa primò inter ſe coëunt, & permixtione ſua, producunt illa tria rerum principia, quæ vnum conſtituunt ſpiritum

mundi, calidum innatum, humidum primigenium, & Siccum naturale seu corpus eorum continens & coërcens, qui quidem spiritus in rebus metallicis dicitur Mercurius, & argentum viuum: quod interno suo calore, & calore externo loci, quo includitur pedetentim coquitur, & digeritur magis ac imagis, donec tandem in metallicam transeat substantiam puram vel impuram. Puram si in locis puriſſimis, purum includatur argentum viuum: in impuram verò & fœculentam abit substantiam metallicam, si fœculentum & impurum argentum viuum in locis suæ digestionis coërceatur.

Sic argentum viuum & spiritus naturæ metallicæ, tria in se continet rerum principia, ab elementis producta, tanquam causam suam efficientem, & materialem: nam natura immediatè, ex illis principijs argentum viuum producit, suscitando calidum innatum seu Sulphur, in humidum suum primigenium, quod ita sicco radicali minerali vnit, & coniungit, vt æqualiter coniungantur, vt nullum eorum alteri prævaleat, sic humidum non prævalet sicco, & non humectat, nec siccum prævalet humido, nec sistitur, & sic in perpetuo est motu, quòd calor illius æquè sicco ac humido eius faueat.

Sic Elementa quatuor inter se distincta separata & differentia, tria illa rerum principia constituunt, quæ vnum sunt homogeneum, in quo solo quiescunt elementa, & vniuntur vnio-

ne vera & phyſica, ſine vlla inter ſe contrarietate, quia antequam in illo vno coniungantur & vnum fiant, deponunt omnem ſuam contrarietatem, virtute lucis creatæ, quæ pacem ponit inter inimicos, cùm faueat omnibus nec vllis ſit inimica, cùm à Deo facta ſit, ex puriſſimo elementorum omnium, quod quidem purum vnitum & coniunctum in luce creata, non poteſt eſſe ſibi contrarium, cùm contrarietas & repugnantia, ab impuritate dependeat: Vnde facilis eſt coniunctio inter ignem & aquam, & inter aërem & terram, luce illa intermediante, quæ dum contrarijs permiſcetur elementis, quicquid eſt illis contrarium & impurum, ex illis deponit, verbi gratiâ, dum permiſcetur aquæ ad ſocietatem ignis. Aquæ primò frigiditatem tollit, & ſuum viuificum calorem inducit, & ſic ex aqua facit aërem: ipſam depurando & attenuando: ex aëre deinde illo, calore ſuo viuifico, & non adurenti, tollit omnem humiditatem, & ſic ex aqua facit ignem merum: Et vt ex igne faciat aquam, dum permiſcetur igni: ſuâ innatâ & viuificâ humiditate, tollit ignis ſiccitatem, & ſic ignis fit aër, & deinde ſuâ viuificâ humiditate, quæ tunc illi exuberans eſt, frigiditatem connaturalem ad ſe vocat, & caliditatem omnino extinguit, adeò vt non appareat, & ſic ex igne facit aquam: nam ſi ex igne tollantur caliditas & ſiccitas, & loco harum qualitatum, introducantur contra-

riæ qualitates, quæ sunt frigiditas & humiditas, ignis tunc temporis fiet aqua, introducuntur autem illæ contrariæ qualitates à luce illa creata in permutatione elementorum facili negotio, cùm lux creata habeat in se omnes elementorum qualitates & substantias purissimas, in se permixtas & vnitas vnione vera & physica, quæ dum vniuntur & permiscentur in luce, deponunt omnem contrarietatem, & sic in luce non sunt contrariæ elementorum qualitates. Et cum in luce non sunt contrariæ, sed pacificę, dum lux permiscet elementa in productione rerum naturalium, sua virtute pacifica, pacificat & alias contrarias elementorum qualitates, quæ in permixtione in generatione rerum reperiuntur. Et sic ex omnibus elementis vnum facit homogeneum, nullo pacto sibi cõtrarium & dissimile, quamuis ex contrarijs & dissimilibus componatur elementis, & sic in illo solo quiescunt elementa, & nullatenus inter se præliantur. Quod quidem vnum, est illud quo natura vtitur, ad res omnes producendas: quod quidem vnum purum naturæ dicitur & spiritus mundi, & in mineralibus argentum viuum, quod omnino nobis est necessarium, ad perficiendum opus nostrum, quod capitibus sequentibus fiet clarissimum.

An in puro Mercurij quo metalla fiunt, sint Sulphur album & rubeum, & masculus & fœmina Chymicorum.

CAPVT XVIII.

EST in Mercurio Philosophorum, quicquid quærunt sapientes: nihil ex Alchymia exoptari potest, quin in illo solo concludatur: Sulphur inest album, inest & rubeum, masculus & fœmina, & quatuor elementa insunt, & tota natura metallica, & quicquid ad opus absoluendum exoptari potest, in intimis eius visceribus incarceratur sola coctione: hæc omnia manifesta fiunt, in primis Sulphur album, deinde Sulphur rubeum, hoc masculus est, illud verò fœmina habetur: hinc clamant Philosophi: Rubicundus maritus candidam duxit vxorem; Rubicundus maritus est Sulphur rubeum, & cãdida vxor est Sulphur albũ, ex rubeo Sulphure, & albo, fit matrimoniũ verum illud Chymicum, ex quo solo nascitur filius ignis noster metallicus, qui tõtam sobolem, & parentum sequelam nobilitat, & ad regiam ducit maiestatem. In solo ergo Mercurio Philosophorum putà, consistit, quicquid exoptari potest Alchymia. Nihilominus tamen cùm in illo sit nimia cruditas, ex nimia frigiditate, & humiditate eius exoriens: Aurum putum purum illi coniungimus, vt nimiam illam crudi-

cruditatem corrigere valeamus, quia aurum maturissimum est omnium metallorum, vnde ex eius maturitate, cruditatem illam metallicam mercurij corrigimus. Et sic Sulphur illud rubeum vel album, quæ in eo sunt intimè, faciliùs foras in lucem prodeunt, vt Geber ipsemet asserit his verbis, capite XII. de inuestigatione perfectionis. Lapis noster nihil aliud est, quàm spiritus fœtens & aqua viua, quàm & siccam aquam nominamus per naturalem proportionem mundatam & vnitam, quod sibi menticam abesse possunt, quibus addi debet & tertium, ad opus abbreuiandum, hoc est corpus perfectum attenuatum, quod & nos aurum esse asserimus: nihil enim inter metalla, auro ipso perfectius est, vnde Corpus perfectum iure merito dicitur: Spiritus autem fœtens est Sulphur, quod in mercurio latet, quod quidem propter cruditatem suam, & indigestionem fœtet & malè olet; dum autem percoctum est, & coctione nostra maturum factum est, benè olet, & suauissimè fragrat; ita vt fragranti suo odore, vasa sua repleat, quæ dum apperiuntur, in magnum & vastum aëris spatium dispergitur odor. Aqua autem viua seu sicca, est humidum siccum argenti viui, quod dicitur argentum viuum, quod dicitur humidum siccum, quia non humectat quamuis humidum sit, & pura aqua metallica, in aqua sola, & Sulphure suo inibi latitante, habemus omne, quod no-

bis vtile est, ad opus Chymicum perficiendum, & quamuis Geber supra, tria dictet, & numeret illa tria, spiritus scilicet fœtens, aqua viua, & corpus perfectum attenuatum, hæc tria etsi numero tria, sunt tantum duo, aurum puta, & argentum viuum. Et hæc duo adhuc, vnum sunt: nam aurum nihil aliud est, quàm argentum viuum purum & putum, & sic quamuis tria dicat Geber, vnum tantùm dicit. His ita declaratis concludere possumus in argento viuo Philosophorum contineri Sulphur album & rubeum, masculum & fœminam. Et perinde in mercurio solo coërceri quicquid exoptari potest, ad perficiendam & absoluendam Alchymiam.

Quare aurum & argentum sint necessaria operi Chymico cum ipsomet argento viuo.

CAPVT XIX.

CVm in auro, & argento, sola auri, & argenti tinctura resideat, ex opinione & sententiâ Philosophorum omnium, imò ex ipsa naturali ratione, necesse est omninò aurum & argentũ mercurio coniungere: nam cùm non sit tinctura vberrima, alba & rubea in argento viuo, perinde tinctura illi danda est: in auro autem & argento sunt copiosi radij tingentes, fixissimi, & permanentes, ideò cùm Alchymia egeat tinctura illa fixa, & permanenti, ad perficienda metalla imperfecta,

ideò auro & argento eget Alchymia, & ipsa perinde accipit, & mercurio coniungit, & sic mercurius tingitur tinctura fixa, & permanenti auri & argenti, & sua tenuitate, & subtili & penetranti sua substantia imperfectis metallis communicat.

Auri enim & argenti tinctura, propter auri & argenti firmitatem & duritiem, poros corporum imperfectorum, penetrare non potest, & perinde talis tinctura aurea, vel argentea illis communicari non potest, vnde necessaria est omnino, subtilis & penetrans mercurij nostri substantia, vt firmitas, durities & crassitas auri & argenti attenuetur, subtili & penetranti mercurij essentia, & sic ambo coniuncta, vnum constituunt, subtile admodum & penetrans, quod poros corporum imperfectorum metallorum subitò penetrat, & perfectionem quam habet, ex coctione, & præparatione Chymica, illis communicat, & impertit.

Mercurius siquidem solus, cùm in se habeat, subtilitatem quammaximam, & penetrandi potentiam, tincturam auri & argenti ad se trahit, & sibi vnit, eamque subtilem & penetrantem reddit, & sic Opus Chymicum citiùs terminatur auro, & argento & mercurio nostro, quàm mercurio simplici & solo, cui semper danda est tinctura aurea vel argentea, alioquin ad desperationem conducetur opus, propter longitudinem, si solo & simplici mercurio

vteremur generali puta.

Sic ad opus noſtrum abbreuiandum, aurum vel argentum mercurio noſtro coniungimus, & ſic mercurium auro vel argento tingimus, & breuiſſimo tempore opus terminamus, quia cùm aurum ſit metallorum *perfectiſſimum*, & maturiſſimum, ſua perfectione, & maturitate, imperfectionem & cruditatem mercurij perficit & coquit, vnde mercurius ita perfectus & maturus factus perficit, & maturat reliqua imperfecta metalla, quæ egent perfectione, & maturitate aurea, quæ facillimè communicatur & impertitur metallis imperfectis beneficio mercurij ſubtilis & penetrantis: Perfectio enim metallica modò ſit tenuis, ſubtilis, ac penetrans, & permanens & fixa, facillimæ eſt communicationis, quia facilis eſt penetrationis, & ingreſſionis.

Hinc inde colligimus, quare aurum & argentum ſit omnino neceſſarium, vt vnà cum argento viuo coniungantur ad perficiendum & abſoluendum Opus Chymicum; ſine enim hiſce perfectiſſimis metallicis corporibus abſolui non poſſet opus noſtrum Chymicum, tam breuiſſimo tempore, quàm abſoluitur, intra annum videlicet, aut nouem menſes. Quare autem nouem menſes, vel annus integer impendatur operi Chymico abſoluendo, iam nobis erit diſcutiendum.

Quare in perfectione operis Chymici, nouem menſes vel annus integer ſint neceſſarij.

CAPVT XX.

VNaquæque res naturalis ſuum habet tempus determinatũ perfectionis ſuæ, quo perfectio ſua abſoluitur & terminatur. Videmus enim experientiâ, animalia cuncta perfici, & abſolui peculiari & determinato tempore, homo nouem menſibus abſoluitur in vtero matris ſuæ: Equi autem abſoluuntur vndecim vel duodecim menſibus, Aſini tredecim, boues nouem, canes nouem ſeptimanis, porci quatuor menſibus abſolui ſolent. Arbores autem vt fructus ſuos ferant, ac perficiant, diuerſa ac varia habent tempora: Ceraſus enim perficit ſuos fructus intra tres menſes, à flore ſuo computando: Vinea autem quinque menſes impendit vt ſuos abſoluat & perficiat fructus. Sic Pyrus & Pomus cum vineâ eundem temporis terminum habent; florent enim menſe Aprili, & Maio, & matureſcunt fructus eorum Septembri menſe aut Octobri, Pinus verò eſt arborum tardiſſima, ad perficiendos ſuos fructus, nam poſt flores ſuos, anni duo conſumuntur antequam eius fructus matureſcat, & abſoluatur.

Sic Animalia, & vegetantia cuncta, ſuum peculiare habent tempus, vt ſuos abſoluant fructus, ſic mineralia neceſſe eſt, habere ſuum

peculiare tempus determinatum & definitum ad maturationem suorum fructuum.

Sic mercurius antequã in aurum perficiatur, spatium annorum mille consumit, vt verè in argentum optimum & perfectum percoquatur, quingentesimos consumit annos, ex sententia Chymicorum: Vt autem in plumbum, stamnum, ferrum, vel cuprũ digeratur, centum anni consumuntur. Vt autem in argentum viuum commune & vulgare transeat, decem anni consumuntur. Sic metalla omnia multum temporis consumunt, ad perfectionem suam, & id habent ex frigiditate & humiditate seminis sui, seu principij metallici, & paucitate caloris naturalis, qui humiditatem & frigiditatem illam nimiam vincere & superare nequit: dum enim humiditas illa, & frigiditas metallici seminis à calore naturali superata est, & deuicta, percocta sunt metalla, & matura facta. Vnde clamant Alchymistæ: fac occultum manifestum, & manifestum occultum, & absolutũ habebis Alchymiæ arcanum: hoc est, fac vt frigiditatem & humiditatem manifestam mercurij seu seminis metallici, deuincas & superes coctione, & ita eam occultes, & sic caliditatem & siccitatem occultam eiusdem mercurij manifestam facies, occultatã frigiditate & humiditate eius, hoc autem fieri non potest, nisi multum temporis consumatur, si solum & crudum metallicum principium as-

ſumatur, nimia enim naturalis ſua frigiditas & humiditas retardat ſummopere, eruptionem, & manifeſtationem caliditatis & ſiccitatis ſuæ occultæ, quæ ſola perfectionem & maturationem operis abſoluit.

Cùm ergo clarè admodum videant Alchymiſtæ, frigiditatem illam & humiditatem manifeſtam copioſam eſſe, in principio & ſemine metallico, & minimam eſſe caliditatem & ſiccitatem eius occultam, adiuuant illam, tum calore externo addito, tum calore interno etiam addito, quem accipiunt ex corpore metallico puro, & perfecto, cui caliditas illa, & ſiccitas eſt manifeſta: & ſic tempus maturationis & digeſtionis abbreuiant addito corpore perfecto & maturo: Addunt autem ſingulis duodecimis partibus ſeminis metallici, ſeu aquæ noſtræ metallicæ, vnam partem auri perfecti, vt intra annum duodecimæ illæ partes crudæ & non adhuc perfectè digeſtæ percoquantur, & digerantur, à maturiſſima auri parte, ſic enim intra annum conſumitur Arcanum Chymicum. Vt enim intra anni curriculum Sol cœleſtis perficit & abſoluit totum Zodiaci ſpatium, ſingulaſque domos eius percurrit, & ſuam lucis creatæ perfectionem, ſingulis aſtris, & inde terris infundit & communicat: Sic Sol terreſtris noſter aurum noſtrum, quod Solem cœleſtem verè imitatur, vt filius patrem ſuum: mercurij noſtri Zodiacum intra

annum percurrit, domos omnes suas illustrat, & perfectionis suæ lucem illis communicat, vt inde, terris metallorum alijs dispertiatur lucis suæ perfectio.

Sic cum mysterio maximo, duodecimis partibus mercurij nostri, vnam tantùm addunt partem, vt illa sola pars sit duodecimis illis partibus, tanquam Sol cœlestis Zodiaco suo, & cœlo. Mercurius enim noster, cœlum est nostrum, in quo sol noster, cursum suum perficit, & lucem suam communicat, & infundit terris nostris metallicis: si vero nouem partes vel decem partes mercurij nostri, auro nostro, & soli addantur, vt inibi Sol suum perficiat cursum, cursus quidem erit breuior, sed non perfectior. Ratio autem in promptu est, quod non tantùm attenuabitur aurum nostrum, diminuta causa attenuãte: diminuta autem attenuatione, diminui etiam necesse & perfectio operis nostri, cùm & tota perfectio consistat in attenuatione, quia quo tenuius est opus, eo penetrantius est, & quo magis penetrat, eò maiores perficit partes corporũ imperfectorũ.

Hinc clarè admodum colligimus quare in perfectione operis Chymici, nouem menses, vel duodecim sint omnino necessarij: quod intra spatium illorum mensium, vincatur & superatur cruditas mercurij nostri, & humiditas & frigiditas illius, in quibus solis, cruditas continetur, quæ non potest breuiori terminari

tempore, & percoqui, nisi & perfectio illius multùm diminuetur, cùm eius tenuitas & subtilitas valdè diminuatur diminutâ mercurij qualitate: mercurius solus est, qui tincturam auri attenuat & sublimat, in aquâ enim primò vertit, deinde in aërem, postremò in ignem: nihil ergo magis attenuare potest, quã illud, quod in tenuissima conuertit elementa, ipsam auri crassitiem, & terrestreitatem.

An omnibus anni temporibus perfici possit Lapis Philosophorum.
CAPVT XXI.

CVm Philosophorum multi scripserint, Lapidem Philosophorum perfici non posse, nisi Sole in ariete existente, & eo solo tempore incipi debere, eius coctionem & digestionem; hinc nobis data est occasio perquirendi, an omnibus anni tẽporibus, possit incipi coctio & digestio Lapidis Philosophorum. Quod vt manifestum & clarissimum fiat omnibus, explicandum nobis erit priùs, quid sibi voluerunt antiqui Philosophi, asserentes Lapidem Philosophorũ Sole in ariete existente solùm perfici posse, hoc est incipi debere eius coctionem & digestionem, vt perficiatur. Hoc dicto innuere voluerunt Philosophi, Lapidis nostri coctionem & digestionem perfici debere lentissimo calore, qualis calor solis in ariete existentis; hic enim calor leuissimus & ita len-

tus sit necesse est, ne comburat flores naturæ, tunc exsurgentes, & ne mercurius naturæ nimis ebulliat, & comburatur eius humiditas copiosa, quæ in principio coctionis suæ, lentè admodùm digeri debet, ne euolet, & euaporet in fumum feruenti coctione sua, & ita pereat opus naturæ: sic lento calore, eoque tepido, incipiendum est Opus nostrum Chymicum, & calor ille æqualis esse debet, calori Solis in Ariete existentis, & sic asserunt Philosophi Chymici, incipiendum esse opus eorum, sole existente in ariete: quod interpretandum est, de calore lento, & æquali calori Solis arietem percurrentis, non quòd eo solo tempore, Lapis Philosophorum perfici possit. Sed quòd eo calore, incipi debeat: nam quocumque tempore Hyberno, Æstiuo, & Autumno potest incipi, & Dei gratiâ continuari opus nostrum, modò calore lento, & Vernali incipiatur, ne flores mercurij nostri, qui in principio tenelli sunt, comburantur, vel ne feruore caloris feruidi euanescant, & exeant ex vase, sicque pereat opus, nimio calore, materiâ euanescente ex vase, vel destructa & corrupta nimio calore: Hoc Solum summopere cauendum esse clamant Philosophi Alchymistæ, ne in principio operis nostri, calor sit magnus, & fortis, sed tantùm ita lentus & moderatus, vt vernalis videatur, sed cum lentus hic, & moderatus calor, omnibus in temporibus, haberi possit: Ideo concludere

possumus, omnibus anni temporibus Lapidem Philosophorum perfici posse, cùm calore lento perficiatur, saltem in principio ortus sui, qui calore omni tempore talis adhiberi potest: Ideo peculiare tempus nullo pacto est expectandum, datâ materiâ conuenienti & idonea ad opus perficiendum.

An aurum Philosophorum, quo indiget Lapis ad perfectionem & abbreuiationem suam, sit aurum commune.

CAPVT XXII.

AVrum Philosophorum multùm distat ab auro communi; est enim aurum Philosophorum aurum viuum, vegetationis plenum ignis naturalis, & vitalis facultate, & virtute turgidum: Aurum autem commune, & vulgare, est aurum omnino mortuum, quia auro Philosophorum est omninò priuatum, quia dum liquatur, ex fodina, & massa sua minerali, tunc temporis spiritum illum vitæ & vegetationis plenum amisit. Spiritus ergo ille mineralis, qui perficit metalla, eaque crescere facit, est verum aurum Philosophorum. Quantum autem distat spiritus iste ab auro cõmuni, omnibus est manifestum; est enim pars spiritualis auri, & aurum commune, est corpus crassum, & solidum illius spiritualis substantiæ, quæ est veluti forma, & vere est forma illius: quantum distat forma à materia, tantùm &

distat aurum Philosophorum ab auro communi. Dum ergo asserunt Philosophi, auro Philosophorũ opus esse, ad perfectionem Lapidis & eius abbreuiationem, non intelligunt aurum commune & vulgare esse necessarium ad opus Philosophorũ, sed spiritum illum aureum, qui totum corpus auri suâ præsentiâ viuificat, & nobilitat, vegetanti & vitali sua virtute. Vndenam spiritus iste aureus exhauriatur colligere habemus, cùm & habeamus alium spiritum mineralem huic similem omnino, beneficio cuius hunc spiritum aureum attrahere possumus ex his minerijs & massis fodinarijs, in quibus aurum copiosum est, sed non omnino ad perfectionem deductum, sed à naturâ incœptum: ibi enim spiritus aureus ille, copiosus est, & turgens, & ex illo fonte solo hauriendus est, & sic spiritus noster nimis sua frigiditate sterilis, fit omnino fœcundus: hic est fœmina, ille verò masculus, sed fœmina nostra fœcundari non potest, nisi masculi spiritus istius putà coniunctione, qui totus igneus est, & aëreus: alius verò aqueus & terreus, in centro suo tamen, & in occulto est igneus & aëreus: Alius verò in centro suo seu occulto, est aqueus & terreus, & in manifesto verò est igneus & aëreus, & sic sunt omnino qualitatibus contrarij, hi duo spiritus: sed coctione & digestione fiunt tandem similes, & deponunt omnem suam contrarietatem &

inimicitiam,& fiunt eiusdem qualitatis & proprietatis. Eo autem spiritu igneo & aëreo, qui est aurum Philosophorum & Sulphur naturæ, solummodo indigemus ad perfectionem & abbreuiationem Lapidis nostri: aurum enim cõmune & vulgare reducere non possumus in suam materiam primam sine illo spiritu,& perinde non possumus perficere opus, cùm perfectio operis consistat in reductione illa materiæ metallorum primæ, sine qua, metalla inuicem transmutari non possunt ex Aristotelis ipsius sententia.

Et sic clarissimè concludimus aurum Philosophorum,quo indigemus ad perfectionẽ operis nostri,& arcani,non esse aurum commune, sed quid aliud separatum & omnino distinctum: videndum tamen est, an aurum cõmune vt est, & reperitur in manibus nostris,valeat inseruire operi nostro, & quamuis mortuum sit, viuificari possit, & ita viuificatum, arcano nostro inseruire valeat,& sic aurum fieri posse Philosophorum,quod capite sequenti fiet clarissimũ.

An aurum commune mortuum & sterile arte nostra viuificari possit & arti Chymicæ inseruire.

CAPVT XXIII.

MOrtuum viuificari & sterile, fertile & fœcundum fieri, hoc supremum est naturæ opus, & soli creatori dicatum:

cùm vita ſolum ex ipſo ſolo dependeat, quæ rurſus ad actum reduci non poteſt niſi creatore iubente, vt verbi gratiâ quando homo viuens mortuus eſt, ad vitam reduci non poteſt, niſi ſola Diuina poteſtate.

Quando autem ex elementis vita eſt, & luce creata, tunc temporis natura ſola poteſt motuis ipſis, vitam reſtituere, vt mortuis papilionibus, muſcis, & ſerpentibus vitam ipſam reſtituit, & vegetantibus ferè omnibus, quę dum exceſſu frigoris mortua ſunt; verno tempore ſole aduentante, vita noua illis reſtituitur.

Quod ſi animalibus quibuſdam & vegetãtibus hoc contingere ſoleat. Quid ni & metallis, quę & corpora craſſiora & ſolidiora tenent, idem continget? Auro imprimis, quod quidé quamuis liquatione, & fuſione ſua, igne forti, amittat, ſuum mineralem ſpiritum vitæ ſuæ fomitem, & cauſam. Quid ni & eundem ſpiritũ recuperare poterit, & perinde vitam ſuam denuo recipere, & ex mortuo viuum fieri. Hoc quidem opus verè eſt in poteſtate naturæ, & artis, ſic aurum commune, & vulgare, quod communiter dicitur mortuum, viuum fiet, recuperato ſuo ſpiritu viuifico; & commune aurum, ſic fiet aurum Philoſophorũ, & viuum & omninò fœcundum, ex ſterili, & mortuo, & ſic arti noſtræ verè inſeruiet; non enim vt eſt inter manus mercatorum, arti inſeruire poteſt, cùm tale ſit omnino ſterile & infœcundum

prorsus: Præparatum autem, & spiritu suo minerali viuifico animatum, tunc summæ est vtilitatis, & artis nostræ verum & vnicum fundamentum, & operis nostri verum compendium: in quo solo ars nostra quiescit & gaudet, & sine quo tota Alchymia ferè vana esset, propter longitudinem temporis, quâ esset opus ad perfectionem illius.

De Argento communi, & vulgari, eadem narrari, & affirmari possunt, cùm per se sterile sit & infœcundum, & arti nstræ inutile, nisi fœcundetur spiritu minerali nostro: postquam autem animatum est spiritu suo minerali, tunc verè viuit, & fœcunditatis est plenum, & germinationis: vnde concludere possumus, aurum & argentum commune & vulgare, quamuis per se sint mortua, & infœcunda, fœcundari posse, & omninò viuificari, ita vt vera viua sint, & fœcunda, & arti nostræ vtilissima, modò imprægnentur spiritu minerali & metallico, qui est totius artis Chymicæ fundamentum, basis & columna, cùm sit totius naturæ metallicæ perfectio. Spiritus autē iste mineralis, quo indiget tota Alchymia, copiosus est, & turgens, vbi ignis naturæ & lumen turgent, de quo sequenti capite multa dicenda sunt, vt innotescat Alchymiæ alumnis.

Spiritus naturæ metallicæ, in quo naturali subiecto copiosè resideat, & quâ arte hinc eliciendus sit.

CAPVT XXIV.

SPiritus naturæ metallicæ, ex quo solo metalla fiunt & nutriuntur, ac conseruantur, nullo pacto differt ab spiritu generali mundi, ex quo res omnes fiunt, nutriuntur & conseruantur: at hic generalis spiritus, qui componitur, vti diximus supra, ex luce creata, & puriſſima elementorum omnium ſubſtantiâ, fit particularis & indiuiduatur in ipſis metallis, & fit naturæ metallicæ ſpiritus. Qui cùm componat metalla, ipſaque nutriat, foueat & conſeruet, in ipſis reperiri neceſſe: Itaque ſi ipſum habere cupis, ex metallica ſubſtantiâ ipſum elicere neceſſe eſt: in quo autem metallo copioſus reperiatur, ingenio tibi opus eſt, vt intelligas. Nam omnes Philoſophi hoc metallum, quod vnicum eſt, ſummopere occultant, vide autem & perpende totis animi tui viribus, vbi lux creata, quæ eſt pricipium motus, in omnibus rebus, copioſiſſima eſt vnà cum puriſſima & ſubtiliſſima elementorum ſubſtantia, eaque cruda ſunt, & non cocta, ſed leuiter coagulata & vnita in metallum, illud eſt vnicum & ſolum metallum, in quo ſpiritus ille mineralis copioſus eſt, & turgens, ex quo facili negotio educes ſpritum illum tibi ad artem neceſſa-

neceſſarium quò cum metalla omnia reduces ad materiam primam, tibi omnino neceſſariam ad perficiendũ Opus, & Arcanum Chymicũ. At ex illo vnico metallo, elicere ipſum ſpiritum non potes, niſi ſpiritus generalis notitiam, & omnimodam cognitionem habeas. Vt enim ſpiritus iſte generalis eſt alimentum, & pabulum vnicum & ſolum metallorum omnium: Sic etiam eſt modus vnicus & ſolus, extrahendi & eliciendi ſpiritum metallicum nobis neceſſarium: Spiritus enim ſpiritum trahit, & vniuntur inuicem, ita vt ſi ſpiritus generalis ſit aqua, cum ipſa aquâ, metallicus ſpiritus facili negotio extrahetur & iungetur cum ipſa aqua, & fiet aqua, quæ tibi ſolum purificanda eſt ab omnibus ſordibus eius, & vltimò percoquenda in fixiſſimam ſubſtantiam, ſubtilem valdè, penetrantem & tingentem, cum ſit de natura ſpiritus naturæ metallicæ, qui ſolus ſubtilis penetrans & tingens eſt.

Modus autem eliciendi & educendi hunc ſpiritum naturæ metallicæ eſt, vt ſumatur maxima quantitas materiæ, in qua copiosè reſidet ſpiritus generalis, & ipſam materiam ſpiritus generalis admiſceas cũ terra metallica argenti vel auri, ſeu cum fodina & mineta ipſius argenti viui, & in æquali pondere permixta, induntur retortæ vitreæ luto munitæ, vel retortæ terreæ, quod melius eſt, & fortiſſimo igne pellantur ſpiritus hi minerales in vas vitreum reci-

piens in fundo, cuius debet esse parum aquæ communis, vt recipiat illos spiritus in situ suo, qui alioquin siccitate sua & ignea-qualitate, abeunt foras & perduntur. At humiditate aquæ communis conseruantur, & facili hac viâ conuertuntur in aquam, in ipsa aqua communi. Deinde rectificari debet multiplici distillatione, hæc aqua, vt candida fiat, & clara. Deinde cum hac aqua seu spiritu generali, tibi dissoluendum est metallum illud, in quo copiosior est, quàm in cæteris metallis, spiritus metallicus, postquam habes dissolutum hoc metallum, dissolutionem purificas sublimatione & distillatione, & cum hac aqua metallica pura & nitida, aurum vel argentum dissoluitur, & adeò suauiter, vt Sal ipsum dissolui videatur in aqua calida, & tunc temporis nihil amplius tibi laborandum est, at in sola simplici coctione persistendum, quod sequentibus capitulis facili viâ, intelliges.

Quibus artis operationibus Lapis Philosophorum componatur.

CAPVT XXV.

SOla coctione potest perfici Lapis Philosophorum naturam imitando. Natura siquidem, dum metalla perficit, sola digestione, & coctione materiæ metallicæ vtitur. Nulla enim illi sunt vasa distillatoria, calcinatoria, solutaria, & reliqua similia, quibus vtun-

tur noſtri Chymiaſtri, ad operationes ſuas peragendas: Accipit Solùm natura, materiam metallicam, & digeſtione ſola perficit eam, ſeparando purum ab impuro, & purum ſolummodo coquendo, in ſeparatione tamen illa naturali, & digeſtione, quâ vtitur natura ad perficienda metalla, ſunt operationes variæ & multæ, quas diſtinxerunt Chymici, vt meliùs & certiùs intelligerentur, & quid interiùs ageret natura, percipi poſſit: Nam digeſtio illa naturalis, poteſt diſtingui, & ſeparari in Solutionem & putrefactionem, ſublimationem, diſtillationem, coagulationem & fixationem: quæ quidem operationes, quamuis variæ & multiplices videantur, nihilominus tamen ſola coctione, comprehenduntur omnes. Natura ſiquidem dum materiam coquit metallicam, & digerit ipſam, eandem ipſam ſoluit, putrefacit, ſublimat, diſtillat, coagulat, & fixat. Et vt verum fatear, Alchymiſtæ etiam veri & optimi, qui naturam imitantur, poſtquàm materiam propriam ſuam puram habent, ſola tantum coctione & digeſtione illius puræ materiæ vtuntur, Vas ſuum nullo modo mouendo, nec mutando: antequàm verò habeant materiam illam puram, varijs & multiplicibus vtuntur operationibus, & multis ac varijs vaſis, vt ipſam materiam metallicam ſuam puram putam habeant, veluti ſublimatione, diſtillatione, Solutione, putrefactione, calcinatione, & alijs ſi-

milibus varijsque vasis proprijs, & aptis ad operationes illas varias peragendas, quas omnes & alias similes, ad duas reducemus, ad solutionem & coagulationem, de quibus tantùm operationibus peculiariter dicemus: vt methodus integra & absoluta, pērficiendi Lapidis Philosophici omnibus Chymiæ artis Alumnis penitùs cognoscatur. Qui enim sciunt perfectam Solutionem & coagulationem perfectè admodùm, sciunt totam artem, & eius fructus colligere norunt.

De Solutione Chymica, quæ est principium Operis Chymici.

CAPVT XXVI.

SOlutio est operationum Chymicarum omnium difficillima & earum prima, & principalis, quod ea operatione, metalla reducantur in materiam primam, sine quareductione, non possunt inter se transmutari metalla, ex Chymicorum omnium sententia & rata opinione.

Per reductionem autem hanc in primam materiam, intelligunt Chymici, reductionem in principia sua, immediata, ex quibus facta sunt: Ista autem reductio est arti summopere necessaria, quia per eam principia metallica, & semina iterum recrudescunt, & separantur ab omnibus suis excrementis, quibus infecta & contaminata fuerunt in prima compositione,

ita vt puriora multò fiant, & candidiora: Itaque dùm iterum de nouo componuntur, & vniuntur, pura & candidissima, nouam perinde habent actionem & multò priori nobiliorem. Quia excrementa, in ista secunda compositione, & vnione, separata sunt, à quibus excrementis tarda, & lenta valdè erat actio: In secunda autem vnione, cum illa omnia excrementa separata sint, & partes omnes compositionis istius puræ valdè sint, ideò actio istius compositi fortis omnino est, & valdè nobilis, & aliam priorem virtute antecellit.

Per solutionem ergo Chymicam resoluuntur metalla, in principia sua, ex quibus immediatè scaturiginem habuerunt. Et est summè necessaria hæc solutio; sine enim illâ, Lapis Philosophorum nullo pacto fieri posset, cùm principia metallica haberi nequeant sine illa: nec item depurari possunt vt puriora fiant, & inde fortiorem & nobiliorem habeant actionem. Ergò summopere est necessaria hæc nostra solutio, ad perficiendum Opus Chymicum nostrum & Arcanum. Vnde eam Solutionem definire possumus corporum metallicorum reductionem in sua prima & immediata principia, & elementa, ex quibus facta sunt ab ipsa natura, cuius ope & beneficio, partes metallicæ substantiæ absque alteratione, & corruptione eorum substantiæ, separantur ab inuicem, & depurantur summopere, vt inde noua, for-

tior & nobilior exſurgat metallorum actio: in hac autem reductione perficienda, opus eſt putrefactione, & digeſtione peculiari in lento càlore balnei; aut fimi equini; calor enim hũmidus faciliori negotio ſeparat partes compoſitas & diſgregat, & actio illa caloris humidi in ſubiecto ſoluendo, dicitur putrefactio, quamuis hæc ſub digeſtione & coctione generaliter comprehendatur. Cùm autem hæc ſolutio ſiue reductio in principia, ſit omninò neceſſaria ad Arcanum noſtrum peragendum. Videndum iam nobis eſt, quo reducente & ſoluente fieri debeat, nam metalla reduci non poſſunt in ſua principia per ſe ſola, Solo igne operante, externo adhibito, & ita reducta permanere: Egent autem ſoluente & reducente. Reducens & Soluens iſtud, debet eſſe eiuſdem ſubſtantiæ metallicæ, ne metalla reducenda alteret in ſe ipſis & corrumpat: Quale ergo erit iſtud reducens & ſoluens metalla in eorum principia formalia, & materialia, ſi ſuperiori doctrinâ imbutus ſit Lector, & Chymicum genium teneat. Certè non dubitabit debere eſſe argentum viuum Philoſophorum ſuperiùs toties nominatum. Eò enim ſolo metalla omnia poſſunt reduci in principium ſuum, hoc eſt in argentum viuum. Vnde dicunt omnes Chymici, fac mercurium per mercurium, & veram noſtram habebis Chymicam ſolutionem, Artis noſtræ & Operis Phyſici principiũ.

Antequam autem eam ſolutionem abſolutè perficias, ſciendum tibi eſt, quot ſint neceſſaria ad Chymicam veram ſolutionem abſolutè perficiendam; niſi enim in ſolutione Chymica iſta ritè procedas, procul dubio errabis & nullos fructus in Chymia percipies.

Quot ſint neceſſaria ad Chymicam ſolutionem abſolutè perficiendam.

CAPVT XXVII.

DVo tantùm neceſſaria, ad abſolutam & completam perficiendam ſolutionem Chymicam exiſtimãt omnes Chymici, ſoluens putà & ſoluendum, quæ quidem etſi duo ſint, ſunt tamen vnum quid, vnitate ſubſtantiæ, & radicis eiuſdem, & talia eſſe oportet, aliàs non daretur vera ſolutio, quæ fieri habet cum conſeruatione ſpeciei, vnde ſi ſoluens & ſoluendum, non eſſent eiuſdem ſubſtantiæ, & radicis eiuſdẽ, non poſſet ſoluens ſoluendum ſoluere, & in ſubſtantiam ſuam conuertere, niſi cum alteratione, & corruptione ſuæ ſubſtantiæ, & ſic non ſolueretur ſoluendum, cum conſeruatione ſuæ ſpeciei, ſed vel conuerteretur ſoluens in ſoluendum, vel ſoluendum in ſoluens, & ſi eſſent diuerſæ ſubſtantiæ, hæc ſolutio Chymica, non fieret cum conſeruatione ſpeciei, ſed cum deſtructione. Perinde neceſſe eſt, vt ſoluens, & ſoluendum ſint eiuſdem ſpeciei: hæc enim ſola neceſſaria ſunt, ad perfectionem ſo-

lutionis Chymicæ : maximum quidem est arcanum Solutio Chymica: hæc enim si debitè, & secundum normas & leges Artis Chymicæ peragatur, totum perficit & absoluit arcanum Chymicum : Solutione enim debitè factâ, reliquum quod supereſt, est mulierum opus, nempe sola lenta coctio & digestio, in qua peragenda, non est opus ingenio, & summâ industriâ, nec doctrinâ, in solutione autem peragenda, est opus doctrinâ summa, & summo ingenio: cum natura metallica sit per quam optime cognoscenda, & quâ viâ metalla perficiantur, necesse est scire, & quâ re: Præterea est sciendum quid sit in natura metallica, perfectum & imperfectum, purum & impurum, & vnde hæc differant, & qua ratione differant, cognoscendum est, alioquin eligere non possumus eà quæ necessaria sunt, ad solutionem nostram perficiendam, nisi metallicas substantias ritè pernoscamus, puras & impuras, perfectas & imperfectas, vt has reijcere sciamus, illas suscipere. Quia ad solutionem nostram, puras & perfectissimas eligere debemus, substantias metallicas, easque cum subtilissimis tenuissimisque substantijs eiusdē radicis & substantiæ coniungere debemus, vt ex earum coniunctione, igne adhibito externo lento, fiat nostra solutio. Pernoscendum etiam est spiritus metallicos purificandos esse, & valde attenuandos, vt quintæ essentiæ metallicæ habeant rationem, vt his

ita purificatis & attenuatis, attenuentur, subtilientur, & purificentur solida corpora metallica perfecta, vt eorum corporum perfectorum tinctura, tingantur & spiritus metallici, & sic fiat vera nostra solutio, quæ alioquin fieri non potest : hinc quantæ sit difficultatis solutio nostra, collectu facillimum est, & ad eius difficultatem cognoscendam allegoriæ infinitæ allatæ sunt, & excogitatæ; hinc Aquilæ rapaces volantes, hinc Leones crudeles, & fortes omnia morti tradentes excogitati & ficti sunt, apud Chymicos, hinc Lupi rapaces, hinc symphalides aues, hinc monstra marina, hinc Geriones, hinc typhones, hinc serpentes & alia infinita bruta excogitata sunt, vt solutionem illam nostrā occultarent Mysochymicis nostris stultis & fatuis, scientiæ autem alumnis hisce allegorijs manifestarent.

Et sic in solutione nostra Chymica intelligenda & peragenda, opus est ingenio subtili, & doctrinâ maxima, ad allegorias illas omnes varias & distinctas, vnum & idem significantes intelligendas, & capessendas, & his optimè intellectis hinc colligi possit, qua ratione, & viâ, fieri possit solutio nostra, & ea debite facta, totum deinde, peragatur arcanum facili negotio, & sic ad coagulationem Chymicam & fixationem deueniamus, quæ sola totum perficit opus, vt capitulis subsequentibus colligere est.

De coagulatione Chymica, quæ totum perficit opus.

CAPVT XXVIII.

EXplicatâ Solutione Chymicâ, iam nobis explicandum est, quid sit coagulatio Chymica, quæ solutionis est finis, & terminus: nam quę per solutionem ad principia sua reducta sunt, & cruda facta: iam per coagulationem ad maturitatem perfectam reducuntur, & quæ plura sunt ad vnitatem simplicem rediguntur, vnde coagulatio definiri potest rei solutæ compactio & crudæ maturatio, & elementorum separatorũ vnio, & in hac vnione totum completur Arcanum. Principia quidem Chymica & elementa, postquàm separata sunt à prima compositione, & iterum in secundam vnionem per coagulationem nostri redacta, sunt immortalia, & potentissimas habent actiones, & virtutes, ita vt, & cætera corpora mortua, suscitari in nouam vitam & actionem possint. Quod Mysochymicis nostris incredibile factu videtur, & dum hoc afferitur à Sapientibus artis nostræ, hoc stultitiæ plenum esse credunt, & ita sapientiam Philosophorum stultitiâ suâ mensurant. Sed si aliquid lucis & sapientiæ illis inesset, viderent res omnes in centro suo, lucis creatæ esse plenas, quæ verè nihil aliud est, quàm vita, & cùm sit vera vita vt est vita, verè mori non po-

test, ergo immortalis est,& cum vita illa interna verè immortalis, ab omnibus excrementis, suis&tenebris,seu mortis vmbris,liberari possit; veré tunc tẽporis actiones eius erunt immortales, hoc est vitæ plenæ. Vnde si aliquid sit in rerũ natura,quod vitâ illâ interna & cẽtrali destituatur, potest reparari & restitui eius defectus, vnde restituetur in vitam nouam; & ex morte resurget: veluti ignis, & lumen aliquod, dum in procinctu est, suæ extinctionis & mortis defectu ligni, aut olei, appositò ligno aut oleo, statim recuperat vires & de nouo accenditur, & iterum viuere seu lucere videtur: Sic & vita corporum naturalium, dum naturali cursu deficit, deficiente pabulo vitæ, appositò pabulo fortissimo & simillimo, statim vita restauratur de nouo, & pristinas acquirit vires, imò maiores & fortiores, si pabulum vitæ tale sit, vt accrescat vitam ipsam & fortiorem,faciat quod arcanis ipsis nostris Chymicis fieri posse facillimum est: nam solutione nostra separantur omnia excrementa vitæ, & vmbræ & tenebræ mortis,sic discutiuntur,& a vitali sustantiâ procul eliminãtur:Et sic per coagulationem nostrã hæc omnia pura facta, iterum vniuntur & vnũ fiunt, fortius multò, & potentius, quàm prius fuit,&sic habet potentiam & facultatem reliquorum corporum vitam labentem senescentem, & extinctioni suæ proximam reparandi, & ita restituendi, vt nouam vitam & fortio-

rem habere videatur.

Sic ex coagulatione noſtra Chymica, Opus & Arcanum Chymicum abſoluitur, & in ea operatione terminatur & quieſcit tota Alchymia. Vide ergò amice Lector, quantæ ſit neceſſitatis in Alchymia peragẽda, hæc noſtra coagulatio, quia abſque ipſa, in Alchymia nihil eſt vtilitatis: Elementa enim Chymica & principia ſoluta & per ſe ſeparata, niſi coagulentur & perfectè figantur, nullas fixas & permanentes, oſtendunt virtutes & proprietates, & perinde nullius ſunt vtilitatis; Quapropter ſummopere ſtudendum eſt, & præcognoſcendum quâ viâ & methodo, fiat coagulatio Chymica, quæ ſolo igne moderato peragitur: nam elementa ſoluta, & ſeparata, perquamoptime depurata, debent vaſi proprio includi, & percoqui, donec coctione continua, & lenta, figantur, & in vnam ſubſtantiam fixam, & permanentem, ſubtilem, & penetrantem, & vt cera fuſibilem redigantur: hac ſolâ viâ, & methodo fecerunt antiqui Philoſophi Lapidem ſuum ſeu Elixir Arabicum, metalla omnia in aurum verum & legitimum transmutans, & corpora cuncta ſenectutis labe infecta, in corpora noua, & vitæ plena conuertens, ſola ſolutione elementorum metallicorum, & coagulatione eorundem: vnde dixerunt Antiqui, ſolue & coagula, & iterum ſolue & coagula, & ſic multiplicabitur arcanũ, & totum perficietur Opus ſeu Magiſterium Alchymiæ.

Quibus vijs & rationibus excogitarunt antiqui Sophi Lapidem suum, vel an Solâ reuelatione diuinâ habuerint ipsum.

CAPVT XXIX.

CErtissimum est, hoc naturæ arcanum arcanorum omnium secretissimum, reuelatum potius esse mortalibus ab ipsomet Deo, quàm fuisse ab ijsdem hominibus vi mentis humanæ excogitatum. Et si generalis & vniuersalis naturæ creatæ cognitio fuit data & concessa Protoplasto Adamo nostro, *nullo pacto dubitandum est*, quin Secretum istud naturæ etiam illi concessum sit, cum generali & vniuersali illa naturæ notitia. Ex qua tamen poterat ipse Adamus vi mentis suæ, colligere tantum & secretissimum arcanum, & deinde *filijs suis tradere* & communicare. Videbat enim lucem in auro, & argento radicatam & fixam, & statim inde excogitare poterat qua viâ, & methodo, lucem illam perfectam, vitæ fomitem & motus naturæ principium, ex auro & argento elicere posset, ita vt tenuior esset, & subtilior multò, & non ita firma compage, in subiecto solido adhæreret, sed in multò subtiliori, & tenuiori, & sic facilis esset communicationis. Quod si lucem in Sole & Luna, & stellis cœlestibus, expertus sit, & doctrinâ sua infusa diuinitùs perfectè sciuerit, principium esse & fundamentum vitæ, & ger-

minationis in rebus omnibus. Ita vt Sol & Luna, cùm illa ſua luce omnia producant & conſeruent. Sic facili negotio excogitare potuit, lucem illam Solis cœleſtis auro communicatam & influxibus cœleſtibus delapſam & infuſam, eiuſdem eſſe virtutis & proprietatis, ac lucem ſolis cœleſtis. Ita vt ſi lux ſolis cœleſtis, ſit vitæ & germinationis principium & fundamentum. Sic & erit lux ſolis terreſtris, hoc eſt auri, eiuſdem vitæ, germinationis, & conſeruationis principium & fundamentum.

Hoc autem in ipſa auri eſſentia contemplans, ſtatim mentis ſuæ impetu & ſagaci conamine excogitauit, hanc lucem ſolis habere, & ipſam ita ſubtilem, & tenuem facere conatus eſt, vt omnibus rebus facili negotio, ſua tenuitate & ſubtilitate communicaretur.

Attenuandi autem viam, & ſubtiliandi methodum meliorem excogitare non potuit, quàm aurum ipſum principio ſuo & elemento permiſcere, vt ita ſolueretur aurum per principium ſuum & elementum, ex quo factum fuit ab initio. Et ſic lucem auri vel argenti vitale principium habuit dilutum in ſuo principio, quod cùm tenuè ſit & ſubtile valdè, lucem illam auri ſubtilem & tenuem valdè reddidit, & ad ſummum tenuitatis gradum conduxit, per ſubtilitatem & tenuitatem principij aurei & metallici: craſſum enim & ſolidum corpus auri vel argenti non poteſt meliori viâ attenuari,

quàm subtilis & tenuis eiusdem substantiæ admixtione.

Postquàm ergo viderit Adamus aurum, beneficio principij metallici summopere subtiliatum, adeò vt vna cum principio illo metallico se sublimaret, & in naturam potentissimã, & efficacissimam sola simplici coctione, se conuerteret, & se figeret, hoc iterum attenuatum & subtiliatum aurum & solutum, & fixum factum, iterum principio suo summopere purificato soluit & coxit, & donec in fixã & permanentem abiret substantiam, hoc idem multoties iterauit, donec ad supremam tenuitatem & fixitatem aurum redactũ habuit, quo deinde vsus est, eoque vitæ suæ incõmoda moderauit & elusit; non poterat enim Adamus miser noster primus Parens ex paradiso eiectus, & miser, & nudus in vitæ humanæ calamitates omnes proiectus, se tandiu ab ipsa morte conseruare, absque diuinâ illâ medecinâ, quam existimo illi fuisse concessam diuinitùs, vt se à miserijs & calamitatibus vitæ suæ tutari posset, & sic genus humanum propagare & multiplicare valeret, alioquin si tandiu non vixisset Adam & vxor eius Eua, non in tantam multitudinem excreuisset genus humanum, sic ab ipso Adamo & filijs eius fuit deinde cõmunicata & tradita sapientibus antiquis nostris hæc medicina, qui vsum eius medicinæ, ad metallorũ imperfectorum medelam conuerterunt, & sic aurum fece-

runt ex imperfectis metallis omnibus, vti sunt etiã illa medecinã antiqui Patres nostri, vt animalia, sua caduca & quasi vita functa ad iuuentutẽ primã & robur primũ reuocarent, dando animalibus aliquid illius medicinæ, & diluendo illud aqua communi, & in potu præbendo, & sic animalia caduca, & morte proxima vigere & florere conspexerunt. Dederunt etiam ex eadem medicina antiqui aqua duluta, radicibus arborum sterilium longæua sua ætate, & tali fotu, adeò roboratæ fuerunt arbores illæ, vt illo frondescere, vigere, florere, & fructus inde ferre, visæ sunt.

Sic lucem illam auro implantatam & radicatam, ab influentia viderunt, operari mira in omnibus generibus naturæ mixtorum, & totam renouari naturam in omnibus naturæ mixtis, ita vt omnia iuuentutem acquirant florentem, & summopere fortem & robustam.

Sic perperam non ratiocinatus est Adam noster, nec antiqui Patres nostri, lucem in auro fixam, & radicatam summæ esse virtutis & proprietatis, modò ad summum tenuitatis & subtilitatis gradum deducatur.

Hinc colligere possumus qua viâ & methodo, Lapidem Philosophorũ seu Arcanũ vitæ, in naturæ centro occultũ habuit ipsemet Adam, & habuerunt antiqui Patres nostri: Nam aurũ ad supremum gradũ tenuitatis conductum; arte Chymica, beneficio solutionis, & coagulationis

lationis multoties iteratæ nihil aliud est, quam Lapis ille famosus antiquorum, in quem irrepserunt Mysochymici nostri, quod numquam ipsum comprehendere & percipere valuerunt, & quod ipsi percipere nequeunt, id ipsum vanum & fictitium quid, ab hominibus otiosis excogitatum existimant: Quasi verò antiqui Sapientes, cum tanta assertione, morum probitate, doctrinâ, Allegorijs infinitis & Ænygmatibus, id nobis asserere voluerunt, & se ipsos habuisse & tenuisse, vidisse, fecisse, ipso Deo teste, testati sunt, de fictitio & vano & Chymerino opere, non vnum & idem & simile omninò scribi potest, a varijs Authoribus, qui diuersis suis temporibus & sæculis floruerunt: Sapientiùs ergo & veriùs est, credere, Mysochymicos nostros vanos esse fatuos & stultos, & antiquos Philosophos veraces omninò, & fideles, ipsisque solis nos debere agere summas gratias, quòd de lapide eorum, verissima nobis scripserint & reliquerint monumenta, doctrinæ & veritatis plena, quæ vt nobis veriora appareant, partes adhuc Lapidis nostri disquiremus, & sic veritatem ipsam manifestam faciemus.

De Sulphure albo, quid sit, vbinam sit, & quid prosit Chymicis.

CAPVT XXX.

SVlphur omne album, quod in omnibus rebus latitat, est ignis naturæ seu lumē internum, quodcalidum innatū constituit, omnibus rebus inclusum, quod res maturat omnes, & facit, vtiales existant, quales sunt: in metallis autē idē præstat ac in cæteris rebus, perfectionē eorum constituit, & maturat ipsa, & colorat, & duplex est, volatile & fixum: Volatile apparet in forma terræ foliatæ, & talis albissimi coloris & lucentis, argenti optimi instar. Fixum autem est terra albissima & lucens, & leui igne fluit vt cera, & omnia imperfecta metalla perficit in argentum, & mercurium crudum vulgarem, fixat in optimum argentum, & Luna chymicorum solet vocari, quod Lunæ virtutes & proprietates soleat imitari, & est Sol indigestus, & non perfectè maturus, & dùm matureſcit omninò, fit Sol perfectus, & tunc sua albedo mutatur in rubedinem perfectam & saturatam, hoc autem sulphur vbique vt dixi reperitur, & in omnibus metallicis potissimùm corporibus inest, & ex his mediante aqua nostra pontica præparata, elici solet, potissimùm ex Luna communi & vulgari, si aqua pontica nostra dissoluatur, & digestione per-

petua, & lenta coquatur, tandem iteratis dissolutionibus & coagulationibus, cõuertitur in sulphur album lucens & splendidum, penetrationis summæ, & potentissimæ transmutationis.

Ex eo paratur verissimum oleum Talci, quod tingit perfectissimè venerem, in verissimam Lunam, & mulieres formosissimas reddit, quia impurum sanguineni, & melancholicum crassum & terrestrem, valdè attenuat, & subtiliat atque depurat omnia terrestria excrementa, & sulphuris vitalis scorias foras proijciendo. Tum per poros omnes & reliqua omnia particularia emunctoria, quę corpori dicata sunt, vt se ab impuritatibus *suis vindicet: sanguine* ergò ita purificato, subtiliato, & attenuato, cutis attenuatur, & color inde viuidus, & florens exsurgit: Vnde vultus nitidè floreſcunt, & fiunt pulchri admodùm, naturali & verâ, & non fucatâ pulchritudine; sic etiam in metallis impuris veluti in plumbo, ferro, stamno & cupro ac mercurio solet fieri, per proiectionem istius sulphuris albi, non vrentis, impuritates omnes metallorum horum, foras expelluntur, & quod crudum est, & indigestum, in ipsis imperfectis corporibus metallicis, perfectè digerit & coquit, & ad maturitatem suam debitam redigit, vnde in Lunam verissimam commutat.

Ex dictis colligimus quid sit sulphur album & vbinam locorum reperiatur, & quid prosit

Chymicis, & medicis, cum sit vera & vnica medicina ad curandos morbos, qui ex impuritate sanguinis ortum habent,

De sulphure rubeo, quid sit & vbinam sit, & quid prosit.

CAPVT XXXI.

SVlphur hoc rubeum Philosophorum, est verissimus ignis naturæ perfectus omni ex parte, perfectissime digestus, & nullo pacto differt substantialiter à sulphure albo, nisi sola coctione & digestione, nam in sulphure rubeo, digestio & coctio, est perfecta, & absoluta, in sulphure autem albo non est omnino absoluta: non ergo differunt substantialiter sulphur rubeum & sulphur album nisi accidentaliter: materia ergo illa quæ continet illum naturæ ignem seu lucem, est purissima elementorum materia perquamoptime digesta, ab igne ipso, & luce naturali, vnde est rerum omnium perfectissima, & nobilissima materia, & qui habet illum naturæ ignem perfectissime separatum, & ex metallicis corporibus perfectis eductum, habet infinitum, & incomparabilem thesaurum. Talis quidem ignis in genere est, & reperitur in rebus omnibus, non tamen est in rebus omnibus ab excremẽtis suis elementarijs separatus, & ab elementis metallicis perfectis eductus. Talis enim nullibi reperitur, præterquam in solo lapide Philosopho-

rum; ibi enim latet perfectissimus, & omnibus numeris absolutus, in alijs autem rebus latet quidem, sed infinitis excrementis obuolutus, cùm solus ibi vitam rerum agat, & constituat: eo euanescente in omnibus rebus vita perit, ac destruitur: in Lapide Philosophorum copiosissimus est, & purissimus, ita vt in ipso Lapide, mira præstet, & in eo potentissimas & stupendas habet potentias & virtutes, ita vt miracula sint eius lapidis actiones his, qui nesciunt, quantum potest ignis naturæ purus & putus, ac turgens, in subiecto tenui & subtili: inest ergo hic ignis & tamen omnibus rebus, ex quibus quidem educi potest, cum his omnibus insit: nihilominus ex his omnibus ad perfectionem vltimam conduci non potest, nisi ex solo auro & argento, & solo mercurio, ex quibus solis corporibus metallicis potest educi, & ad vltimum perfectionis gradum euehi potest, ita vt metalla imperfecta omnia transmutet, in aurum verum: Et sic prodest multis Chymicis omnibus, & imo tantæ est vtilitatis, vt maioris esse non possit. Arcanum siquidem Chymicũ absque eo fieri non potest, nam illud est sulphur non vrens rubedinis summæ, mercurium in aurum coagulans & figens, & verum Philosophorum aurum, cum quo solo fit Matrimonium Physicum cum ipsa luna. de quo solo dicitur, rubicundus maritus candidam duxit vxorem, & nisi Sol & Luna in vnum conueniant

& fiant vnum quid, Lapis esse & fieri non potest: Quæ quidem Luna, seu vxor mariti rubicundi, est aliud sulphur album, & quoniam dictum est, capite superiori, de quibus solis fit hoc vltimum Matrimonium Philosophorũ, pro Lapide conficiendo ac numeris omnibus absoluendo, vt capite sequenti fiet clarissimum.

An sulphur album & rubeum sufficiant ad perfectionem Lapidis Philosophorum.

CAPVT XXXII.

SVlphur album & rubeum vnum & idem sunt radicaliter & substantialiter, nec vllo pacto differunt nisi coctione, & maturitate maiori vel minori, sulphur siquidem rubeum est multò perfectius, quia maturius, & maturius quia maiorem coctionẽ passum est, vt dictum est suprà. Vt sulphur ergo album ad perfectionem ad quam naturaliter tendit, citiùs deueniat, solent Philosophi illud coniungere, cum sulphure rubeo, & ita ambo coniuncta solent illa coquere, vt hinc exsurgat sulphur rubeum fixum, & tingens, & summopere penetrans propter subtilitatem, quam habet ex separatione partium omnium crassarum & heterogenearũ: solent ergo Philosophi ex prima metallorũ cõpositione sulphura hæc duo separare, vt puram metallicam substantiam seminalem & primordialem habeant, ab omnibus separatam excrementis: quam deinde separatam, iterum con-

iunguut & coquunt, vt perfectionem vltimam acquirant, & hanc coniunctionem Matrimonium vocant Solis & Lunæ, in quo Sol & Luna verè conueniunt, & in vnam substantiã abeunt, fixam & permanentem, penetrantem & tingentem: separant autem primò, vt vindicari possint ab excrementis suis omnibus, & ita attenuentur & subtilientur quàmmaxime, & tandem sic subtiliata & attenuata coctione lenta, & perpetuą, ipsa sulphura figunt: Qua fixatione potissimùm egent, vt vltimum perfectionis gradũ obtineant, ideò postquàm separata sunt & ab excrementis vindicata, iterum vniuntur & coquuntur, vt coctione illa ad perfectionem perfectam deueniant: Vt enim prima metallica compositione coniuncta erant, & inuicem fixata, sic in secunda debent iterum vniri & fixari, vt maiorem & efficaciorem habeant actionem, quàm in priori vnione & cõpositione metallica, eo quod sunt ab omnibus excrementis depurata, quæ quidem excrementa tarditatem actionis efficiunt.

Quocirca solent Philosophi hæc duo sulphura metallica à metallis perfectis, vel a mercurio cõmuni, & vulgari separare & separata depurare, & depurata coniungere, vt in illa noua coniunctione, nouam acquirant, & potentiorem agendi virtutem & energiam. Quam separationem, depurationem & coniunctionem multoties iterant, & sic votum vltimum Philo-

BIBLIOTECA TOULOUSE

sophorum completum & absolutum habent.

Nam in illis duobus sulphuribus depuratis & coniunctis & perfectè vnitis consistit tota perfectio metallica, & perindè tota virtus & energia ipsius Alchymiæ. Purum enim naturæ metallicæ in illis duobus sulphuribus perfectè consistit, lux siquidem illa creata, quæ in metallico genere infusa est, copiosa, & turgens est, in illis puris sulphuribus, & perindè hæc sulphura potentissima sunt, quia fundamentum actionis naturæ metallicæ, potentissimum & fortissimū habent, ita vt *quicquid potest metallica natura*, seu semen metallicum in visceribus terræ, in metallis perficiendis, in longissimo tempore, hoc purum & separatum semen, quod sulphuribus istis inest copiosissimum in breuissimo tempore, in horæ quadrante putà certissime potest, in metallis imperfectis perficiendis, & in aurum vel argentum commutandis, quia actionem illam perficiendi metalla, quæ in visceribus terræ metallicis est, potentissimam habet, & infinitis quasi modis maiorem illa naturali virtute, metalli perficiendi in fodinis naturalibus existente.

Sic nullo pacto ambigendum est, de transmutatione illa metallica, quam vt habeamus, hæc sola duo sulphura suprà dicta cõiuncta nobis sufficiunt, ad perfectionem illam vltimam obtinendam, & acquirendam, vt potè perficiendi metalla, totum & absolutum semen, & principium continentia.

Cur Lapis Philosophorum non credatur ab omnibus, nec ab omnibus habeatur.

CAPVT XXXIII.

LApis Philosophorum ab omnibus Authoribus, qui de eo tractarunt, existimatur, summum in terris Dei donum esse, & iure; quid enim in rerum serie? maius reperiri potest ac exoptari, quàm id quod vitam humanam omni ex parte fœlicem, ac beatam reddit ab omnibus miserijs & calamitatibus, tum animi, tum corporis, vindicatã, quodque longam & fœlicem djuitijs omnibus affluentem, & animi dotibus omnibus exornatam ac præmunitam reddit. Hoc enim solum præ alijs Dei Donis in terris summopere exoptauit Salamon, & habuit, in quo *solo*, *sunt* omnes thesauri sapientiæ Dei.

Cùm ergò Lapis Philosophorum sit tantum & magnum Dei donum, vt eius excellentia & præstantia cognoscatur, summa est, necessaria sapientia, quæ pauciſſimis est à Deo data, non enim omnes sapientes sunt, imo omnes ferè stulti, cùm stultorum infinitus sit numerus: imò sapientia ipsa mundana; & scientia mera stultitia est. Perindè cùm in simili sint fatui, & stulti, præclarum illud Dei donum credere non possunt, cùm sat lucis & sapientiæ, non habeant vt ipsum videant, & occultum in natura perquirant; ideò cùm non credant ipsum

naturæ arcanum, ipsum vilipendunt & stultè rident.

Nec etiam opus est & necessarium vt omnes credant ipsum, quia si vera crederent, omnes ipsum improbo labore inuestigarent. Quia eò inuento, nullis rebus indigerent: fatigantur enim omnes homines diu noctuque ad vitam miseram sustentandam: quid ni maiori labore fatigarentur vt vitam numeris omnibus absolutè beatam, ac felicem, ducere possent. Non mercaturæ darent operam, nec per mare, per terras, aurum quæritarent, cùm hoc solo dono, auro abundarent, nullis alijs scientijs nauarent operam, vt vestitum & victum haberent, cùm hæc sola scientia nimis abundè sufficeret ad victum & vestitum luculenter habendum. Ne ergo hæc eueniant & interturbetur ordo naturæ & mundi. Si enim omnes Lapidem Philosophorum haberent, quis illorum seruire vellet, & alijs obsequi, omnes Reges & rerum Domini fieri vellent, cum supremas, & inexhaustas haberent diuitias, & sanitatem inalterabilem, & inuiolabilem cursu naturali, & rerum serie: non est ergo opus, vt omnes credant Lapidem Philosophorum, nec etiam est necessarium vt omnes possideant ipsum, sed vt pauci credant, & perpauci adhuc habeant illud supremum Dei & naturæ donum; hoc enim ex gratia & misericordia Dei obtento, nihil in terris maius & magnificentius exoptari potest,

omnes ergo animi noſtri vires impendendæ ſunt, vt hoc Dei donum obtinere valeamus. Quid autem agere debeamus, vt tanto Dei dono perfrui valeamus, ſequenti capite demonſtrabimus.

Quid agere debeant qui ad Lapidem Philoſophorum aſpirant.
CAPVT XXXIV.

SVpremum ſapientiæ gradum habere tentant & cupiunt qui ad Lapidem Philoſophorum aſpirant: Deum potiſſimùm ergo timere, in primis habent, cùm initium ſapientiæ & ſcientiæ, ſit timor Dei, ad ſupremum enim ſapientiæ & ſcientiæ culmen euehi nequeunt, niſi Deo ducente eleuante ac ſublimante; ſapientia enim ſola à Deo eſt, nec auro vllo pacto & argento erui poteſt. Ex ſolo Dei throno, in mentes humanas delabitur, nec Dei inimicis communicari poteſt hæc ſapientia, quia Deus ſubtrahit, quicquid ex ſe ipſo eſt ab inimicis ſuis: Qui ergò Deum non timet, non poteſt eſſe Dei amicus, quod enim amamus ſummopere timemus. Vnde timor Domini ſummus eſt theſaurus, & nihil melius homini contingere poteſt, quàm timor Domini. Eſt enim fons vitæ & diuitiarum; ex timore enim ipſius Dei, & fontem vitæ, & diuitiarum ſcaturiginem habemus: fons ſiquidem vitæ, & diuitiarum vnus & idem eſt fons cum ex luce

creata verè dependeat, & hæc lux creata ex luce increata, initium verum & principium habuerit. Si quis ergo huius lucis creatæ summum thesaurum habere exoptat, qui est Lapis Philosophorum, vti capitulis antecedentibus diffusè demonstratum est, ab ipso Deo qui est lux increata extorquere habet; lucis enim creatæ thesauri ab increata luce dependent, non possunt enim hominibus communicari nisi perfectè intelligantur & cognoscantur, notio ergo cùm sit species lucis, & omnis lux à luce increata dependeat, dependere etiam tanti secreti & thesauri notio ab ipsa luce increata necesse est.

Inde colligere facillimè possumus timorem Domini summopere esse necessarium, ad lucem illam creatam percipiendam & eius fructum colligendum. Deinde huic arti summoperè est studendum, & operandum, vt ex studio & operationibus qualis sit natura, & qua ratione sit tractanda colligatur. Difficillimum enim est opus, opus nostrum, habita enim materia, quæ admodùm cognitu est difficilis, cùm nullibi suo proprio nomine nuncupatur, nisi eam pertractare scias, nihil habes. Opera deinde antiquorum semper sunt peruoluenda, & legenda, & eorum Ænygmata sunt explicanda, & enodanda, vt inde laborem operis, & modum faciendi Lapidis colligere valeamus: hæc ergo prius sunt peragenda, antequam ad

ad hoc iter Colchycũ nos accingamus. Vt ergo ritè materia Lapidis cognoscatur, sequentia capitula tibi sunt omninò necessaria cum præcedentibus omnibus, quæ notitiam materiæ quàm optiùs tibi manifestant, modò obtuso ne nimis sis ingenio.

Quòd Lapis Philosophorum, ex nulla re animali fieri possit.

CAPVT XXXV.

MVlti Chymicorum antiquorum scriptis suis nobis reliquerunt Lapidem Philosophorum, ex re animata esse: nihilominus tamen id ex litera simplici non ita est interpretandum & intelligendum, quasi sit aliquid materiale in animali bruto, vel homine, ex quo fieri possit Lapis, seu tinctura Philosophorum. Quia nihil in animali est, quin sit igne alterabile & corruptibile. Lapis autem seu tinctura illa Physica, est omninò incorruptibilis & inalterabilis: Qua ratione autem fieri potest vt quod est corruptibile, sit omninò incorruptibile: hinc quicquid dicitur de vrina, de menstruo, de semine, de capillis, de stercore, de ossibus, de sanguine, & reliquis alijs rebus ex animali desumptis, est quid fictitium, & ad placitum excogitatum figmentum & mysticè ac typicè dictum.

Dum enim Philosophi dixerunt Lapidem eorum esse ex re animata, intellexerunt, ex sul-

phure metallico puro puto, esse debere, quia sulphur metallicum illud, cùm sit ex luce creata consertum, & sit forma verissima metallica, animam dixerunt, cùm animæ omnes & formæ rerum creatarum, excepta sola anima humana, fiant ex luce illa creata, quam quidem lucem in rebus omnibus sulphur dixerunt & ignem naturæ viuum, cùm vitæ actiones ab illo dependeant.

Et quamuis mercurius, vnà cum sulphure concurrat, ad confectionem Lapidis, cùm tamen mercurius & sulphur separari nunquam possint, neque vnum existere possit sine præsentia alterius, nihil est contradictionis in dictis Philosophorum, asserentium Lapidem constitui ex sulphure, mercurium tacendo, & asserentium esse ex mercurio, Sulphur tacendo; quia vnius essentia latitat sub alterius vmbra.

Ex re ergò animata fieri debere Lapidem, asserere possunt Philosophi, modò sulphur metallicum intelligant, quod illud sit forma metallica, & metallica anima: Eò enim sulphure dempto, & perit, & destruitur anima seu forma metallica, quæ quidem antiquitùs anima à Philosophis dictitari solebat; cùm totum mundum & res omnes animatas esse assererent, propter illam lucem creatam, seu ignem viuum naturæ, quo totus mundus & tota natura repletur. At propriè loquendo in rebus omnibus ignis ille viuus, etsi actuet, & informet omnia,

nihilominus in omnibus animæ veræ viuentis, non agit actiones, propter naturam, quam non habet vbique disposítam ad actiones illas verè vitales peragendas. In animalibus quidem habet disposítam naturam ad verè vitales actiones perficiendas, ibique in diuerso gradu suæ perfectionis: nam omnia animalia, non sunt æqualiter perfecta in actionibus vitalibus peragendis, cùm non habeant materiam æqualiter disposítam, quæ perfectas lucis creatæ actiones ex se ipsa & tali sua disposítione depromere queat. In vegetantibus autem habet ibi & lux creata, aliter quam in animalibus, disposítam materiam, ibique tantum secundùm suam materiæ suæ disposítionem vegetandi solis edit actiones. In metallis autem, & mineralibus, cùm & aliam ibi habeat materiæ disposítionem ibi etiam & diuersas in mineralibus habet, existendi rationes, ibi enim non vt in animalibus, & vegetantibus, vitales veras edit actiones. Sed quodammodo vitales, cùm actuet & informet verè metalla; qui quidem actus impropriè saltem & latè sumpto vocabulo dici potest vitalis actus, cum à luce creata dependeat: quæ quidem lux, vita verè est & vitales educit actus in omnibus naturæ rebus, modò materia tenuis & subtilis sit, quam lux illa actuat. Sic satis claret *quâ ratione Lapis* Philosophorum, ex nulla re animali fieri possit, etsi Philosophorum Chymicorum nonnulli, asseruerint ex re ani-

mata esse. Quæ quidem res animata solum sulphur, & vitam seu formam metallicam puram & nitidam interpretantur & intelligunt ipsimet, qui hoc asseruerunt: hæc autem vita seu forma metallica, & sulphur, in solis metallis reperiri solet. Vnde ex solis metallis Lapidem fieri posse interpretandum est, cùm ex re animata fieri censent antiqui Philosophi.

Quòd ex nullo Vegetabilium Lapis Philosophorum fieri possit.

CAPVT XXXVI.

ASserit Raymundus Lullius Alchymistarũ caput & Coryphæus, Lapidem Philosophorum vegetabilem esse, & ex Lunaria sua, & ex vino suo rubeo vel albo fieri debere: verissimum est quod Lullius asserit, modò rite interpretetur, & quid sit Lunaria sua & vinum suum intelligamus, Lunaria siquidẽ sua non est planta illa Lunaria dicta, sed est mercurius, qui cum Lunæ sequatur virtutes & proprietates, lunaria dicitur. Vinum autem suum non est vinum commune & potabile, sed est etiam mercurius, seu aqua pontica nostra, quæ vini qualitates & virtutes imitatur, colorem potissimùm, & strias vini inter distillandum etiam imitando, & vt vinum cõmune cum aqua permixtum potum gratissimum constituit humanum, vitæ humanæ fomitem insignem, & pabulum tutissimum, sic & vinum Lullianum, cum aqua

aquâ metallica aurea, vel argentea permixtum, potum constituit gratissimum & vtilissimum fouendæ vitæ humanæ aptissimũ, aurum enim verum potabile constituit, omnes morbos perfectè curans, vitamque conseruans, atque prolongans, & sic interprætatus Lullius, verum dixisse asserere possumus. Si verò per Lunariam suam, plantam intelligat, & per vinum liquorem illum vulgarem ex racemis expressum, falsissima est hæc opinio, nihil enim est in toto genere vegetabilium quod tincturam illam auream Physicã & realem dare possit, cùm quicquid est in vegetabilium genere, sit igne alterabile & corruptibile. Tinctura autem illa aurea, est omninò inccoruptibilis, & *flammis cuiuscumque* vulcani etsi robustissimi fortissimè resistit, vt penitùs aureæ naturæ, quæ penitus alterabilium rationes contemnit: nullũ etiam vegetabilium est, quod aliquid metalli & auri contineat, & perindè ineptum est omninò, tincturæ Physicorum componendæ. Etsi clament Philosophi nonnulli mercurũ coagulari posse, & vere fixari, in verissimum argentum, succis quarundam plantarum, præsertim Lunariæ maioris; quod mysticum & typicum est, & id debet interprætari de Lunariâ nostrâ Chymicâ fixâ, quæ est mercurius Philosophorum, fixus & arte Chymicâ perfectus, qui mercurium vulgarem perficere Solet in Lunam veram, & perfectam. Et quamuis asserant multi

mercurium metallicum extrahi posse, ex putrefactione plantarum nonnullarum. Perindè non est concludendum, Lapidem nostrum fieri posse ex plantis, quod plantæ, in productione illa mercurij, non maneant plantæ, sed omninò corrumpantur & ex corruptione illa generetur mercurius, ex quo deinde præparatione debitè factâ, confici potest Lapis, quia ex quouis mercurio metallico & minerali, fieri potest.

Sic etiam ex animali & homine ipso, potest fieri Lapis, quia ex eo per particularem putrefactionem potest fieri mercurius mineralis & metallicus, sed non ex animali, animali ita persistente, & quâ ratione nobis est opus, illâ peculiari corruptione difficiliùs admodùm inuentu, vt ex animali & vegetabili fiat mercurius, cùm habeamus vbique gentium mercurium metallicum perquamoptimum, ad hoc opus naturaliter productum: modo eo vti ciamus, & præparationē eius Chymicam perfectè & absolutè sciamus & cognoscamus.

Concludere hinc inde facile possumus ex nullo vegetabilium Lapidem fieri posse, si persistant in substātia vegetabili, cum hæc omnino alterabilis sit & corruptibilis & Lapis noster incorruptibilē & inalterabilē & auream debeat habere naturā, vt inter ignes violentissimos persistere possit, hæc autem natura aurea in nullo vegetabilium reperiri potest, cùm sola hæc natura, in metallico genere solùm reperiatur, quod capite sequenti clarissimè demōstrabitur.

Quod ex solo metallico genere Lapis Philosophorum fieri possit.

CAPVT XXXVII.

QVamplurimi Chymicorum nobis asseruerunt Lapidem Philosophorum ex nullis metallis etiam fieri posse, quod si nude vt sonat litera interpretetur, hinc etiam concludere possumus, fieri nullo pacto posse si ex metallis fieri non posset, cum ex nullo animalium, nullo vegetabilium, nulloque mineralium & metallorum fieri possit: hæc enim genera totam naturam comprehendunt. Hoc autem de metallis non ita nudè & simpliciter est interpretandum, quasi dicamus ex nullo metallorum Lapidem nostrum fieri *posse, quod* solùm de metallis in forma metallica externa permanentibus, verum esse concedimus: metalla siquidem in forma externa metalli persistentia, nullo pacto componere possunt Lapidem nostrum, sed oportet priùs vt relinquant hanc formam externam, & remaneat solùm forma interna, & sic arte nostrâ reducantur in principia sua, ex quibus natura fecit ipsa metalla: Quod Aristoteles vocat 4. Meteororum reductionem in naturam primam metallorum: Tunc enim metalla sic reducta ex opinione Aristotelis & Chymicorum omnium possunt componere & constituere Lapidem nostrum cùm principia illa metallica, in quæ

reducuntur metalla, adeò ſubtiliari poſſint & perfici, attenuatione illa, vt perfectionem illam quam habent communicare valeant imperfectis metallis, quæ tali perfectione indigent, & perindè componere poſſunt Lapidem illum, cum ſolus hic Lapis metalla imperfecta perficiat, communicando illis perfectionem illam metallicam, quam ipſe habet ex principijs metallicis, ex quibus componitur. Quod quidem innuere videtur, turba Philoſophorũ, his ſcilicet verbis; niſi enim corpora diruantur, à naturâ corpore carente donec fiant corpora incorporea, & veluti ſpiritus tenuis, non poteſtis animam illam tenuiſſimam, ac tingentem extrahere, quæ in intimo ventris occulta eſt; Toties ergò reiterandus eſt ſpiritus ſuper corpus, donec ſpiritus fiat corpus, & corpus ſpiritus. Quicumque ergo nouerit ſpiritum fugientem rubeum facere, corpore perfecto ſibi admixto, & ex illo corpore & ſpiritu, ſuam tenuem materiam in ſuo ventre occultam, ſubtiliſſimè cum igne lento extrahere, ſi patiens ſit in coquendi prolixitate, procul dubio tinget omne corpus. Nihil enim aliud agere debemus in hac arte, quàm corpora perfecta in materiam primam ſeu in principia corporum perfectorum reducere, quod turba vocat, corpora facere ſpiritus & ſpiritus corpora, vt tenuitas & ſubtilis natura metallorum perfectorum haberi poſſit, quæ eſt materia prima, &

principium metallicum, sic enim habemus illa sola reductione, tenuissimum illud metallicum in intimo ventris metallici occultum, quod tingendi potestatem habet, illudque solum coquere debemus, & coctione illa perenni perpetua & continua perfectissimè fixare, seu in naturam constantem, & in igne perseuerantem, facile fluentem ac tingentem, perducere debemus, Quod quidem ex metallis perfectis operante eorum principio seu mercurio, perficere possumus & ex nullo alio quouis naturæ genere, quicquid dicant & asserant Philosophi & ego ipse multis in locis operum meorum, Quia si aliud contrariũ huic sententiæ asserere videamur, id mysticum est, & allegoricum, & ad nostram hanc sententiam interpretari meretur.

Metalla enim fieri non possunt nec ad inuicem inter se transmutari, nisi naturam imitando, natura autem metalla non producit, nec inuicem transmutat, nisi cum metallico semine & principio. Ergò etiam si imperfecta metalla, ad perfectionem auri & argenti perducere cupias, imitanda est tibi natura ipsa, quæ cum ex principio metallico, & semine, id solum facere soleat & possit: Tibi etiam simile cogitanti, & molienti, idem facere necessarium est.

Hinc concludere facillimum est, ex solo metallico genere Lapidem Philosophorum

fieri debere. Hinc terra ipsa pura & quod ex ipsa elici potest, nisi salis & spiritus eiusdem naturam & essentiam habeat, totaliter excluditur, hinc ros & aqua communis, & quicquid ex ipsis arte Chymicâ eruitur, etiam exploditur, quia nihil habent metallicæ essentiæ. Quamuis ex terra & aqua metalla producantur, nihilominus ex ipsis non producuntur immediatè, nisi prius hæc coniuncta, permixta & alterata fiant principia metallica; in his enim solis elementis, principia metallica copiosè reperiuntur, & ex his solis educi debent, & educuntur & ad artem reuocantur: At hæc principia quamuis arte summâ sint præparata, nihil tibi inseruient nisi tibi sint metalla perfecta præ manibus, cum quibus coniungenda sunt hæc principia metallica, vt metalla perfecta cum illis principijs reducantur in principia, vt superiùs ad nauseam vsque repetitum est, itaque qui rori, aquæ & terræ nauant operam, sciant oportet, quid in ipsis quærendum sit, nam sola principia metallica ex his haberi possunt, quæ tamen copiosè vbique reperiuntur separata & depurata: necesse est tantùm vt in spiritum seu mercurium reducantur, & cum hoc mercurio & spiritu metalla perfecta in spiritum sunt reducenda, & sic arte nostra perficimus mercurium Philosophorum, ex quo solo immediatè fit Lapis noster solâ simplici coctione, de quo in præsenti libello sat copiosè dictum fuisse

existimo. Iam tantum nobis supereſt in Myſochymicos noſtros concludere.

Concluſio totius Operis in Myſochymicos.

CAPVT XXXVIII.

Et vltimum.

IAm fusè admodùm diuagata eſt oratio noſtra, circa probationem Lapidis Philoſophorum: An enim ſit in rerum ſerie, & perſiſtat probauimus; Qualis ſit eius materia & ſubſtantia oſtendimus, quâ viâ & methodo, fieri poſſit ab arte Chymica patefecimus quâ viâ habuerunt antiqui Patres noſtri manifeſtauimus, quibus partibus conſtet, & ſuarum partium virtutes, proprietates, & vtilitates indicauimus. Vt inde colligant omnes, imò videant manifeſtè tanquam in ſpeculo clariſſimo, & nitidiſſimo, an Lapis Philoſophorum ſit quid fictitium, & ad placitum excogitatum opus, an verè realiter exiſtat, cum de exiſtentia ſua, nihil clarius haberi poſſit, quàm ea, quæ enarrata fuerunt, & de materia ſua & ſubſtãtia dicta ſunt, quę de compoſitione ſua indicata ſunt, & quæ de partibus eius, vitute, proprietate, & vtilitate demonſtrata ſunt. De re non exiſtente, & fictitia poſſunt ne, in medium afferri rationes, authoritates & experientiæ tàm multæ, inſignes & probatæ, quàm iam allatæ fuerunt. Poteſt ne dari vera ſcientia, vt de Lapide Phi-

losophorum siue controuersia datur, teste ipso libello, & alijs infinitis libellis, qui de ipso ab Authoribus fide dignissimis, & doctrinâ & moribus probatissimis, Typis excusi sunt & adhuc in posterum excudentur. De re non existente & fictitiâ, possunt ne authores varij, & diuersis in sæculis scribentes; vnam & eandem & similem omninò proferre sententiam: quod enim iam vnus scribit & asserit, sæculo transacto, & mortuo authore & scripto suo & libello vnà cum authore suo iam perempto, alius exsurgit author, patria & regione diuersus, qui eadem scribit, & asserit: si de Lapide Philosophorum non daretur vera scientia, hæc fieri non possent: scientia enim vera est, de rebus realiter existentibus permanentibus, & immutabilibus. Oportet ergò & verè necessarium est, Lapidem Philosophorum verè persistere permanere, & immutabilem esse, in rerum natura, vt de eo scientia dari possit, & per sæcula varia per varios ac diuersos Authores eadem & omninò similia de eodem tradi possint.

Veriss imam etiam eius veritatem testantur Historiæ omnes tàm recentes, quàm antiquæ, quarum denegare fidem, stulti potiùs est, quàm sapientis: Historiæ enim est vera proferre. Legitur autem apud Süidam Ægyptios omnes Philosophos tempore Diocletiani Imperatoris, artem auri & argenti conficiendi apprimè calluisse, cuius ope & auxilio, Romano Imperio

validissimè resistebant. Legitur etiam Nicolaum Fumellum Parisiensem arte sua Chymica, tantùm habuisse auri & argenti, vt Ecclesias multas, & hospitia Parisijs & alibi, erexerit, & reditibus multis prægrandibus & tantis dotauerit. Scribitur etiam Arnaldum Villonouanum Medicum clarissimum Ioannis Papæ 22. Romæ feciſſe aurum perquàm optimum examine omni probatum. Fertur etiam Raymundum Lullium maiori canum, Ordinis Diui Franciſci religioſum tempore Eduardi tertij Angliæ Regis, & Caroli quinti Galliarum Regis circa annum Chriſti 1354. feciſſe copiam quammaximam auri, arte Chymica, quod Eduardo tertio dedit, vt rebelles fidei Chriſtianæ debellaret, nihilominus tamen contra Ioannem Gallorum Regem Philippi ſexti filium, bellum tulit, eumque debellauit, & cœpit, ac in Angliam captiuum duxit, circa annum Chriſti 1356. Hæ omnes Hiſtoriæ & multæ ſimiles, quæ de Paracelſo efferuntur, & alijs artis Chymicæ Authoribus, teſtantur aurum factum fuiſſe per quamoptimum, ab Authoribus, & Profeſſoribus Chymicæ artis. Et perinde etiam Lapidem Philoſophorum factum fuiſſe credendum eſt: Cum ſolus hic Lapis potentiam habeat tranſmutandi metalla imperfecta in veriſſimum aurum.

Quid iam dicent *Myſochymici noſtri*, *quò* ſe conuertent, quos ſtultos & fatuos proclamabunt, an ſe ipſos, an Chymicos, qui vera *ſa-*

pientia & doctrina ipsiusmet naturæ ducti, artem hanc auri faciendi callent, habent & docent. Certè se potius imprudentes & insipientes omninò proclamare se habent, & tales vbique gentium se profiteri non erubescent, cùm inscitiâ sua & crassa ignorantiâ tantum luminis habere non potuerint, vt hoc naturæ arcanum in rerum serie existens & permanens videre, nec palpare potuerint. Resipiscant ergò, & palinodiam cantent & se solos sapientes non existiment, cùm de rebus non sibi notis sententiam afferre conantur, ne postquam res claras & manifestas habuerint se desipuisse fateantur; non enim prudentis est dicere, non putaram.

Concludimus ergò veram esse Alchymiam, verum esse Lapidem Philosophorum & verissimum aurum esse, & probatissimum quod arte Chymica, & Lapidis Philosophorum ope elaboratur & Mysochymicos omnes stultè admodum & temerè artem Chymicam, & Lapidem Philosophorum contemnere, eumque calumniari, ignoscendum tamen, parcendumque illis esse, cùm nesciant quid faciant.

Ænygma Chymicum cuius Velamine & cortice totum opus Chymicum, complectitur.

CVm totum terrarũ orbem inuisere mihi in votis esset, & postquã Europæas ferè omnes regiones, prouincias, ciuitates & vrbes, perlustrassem: Africam & Asiam ferè omnem perambulassem, nullo pacto fessus laboris itinere, sed rerum varietate, magnitudine & raritate consolatus. Quartam mundi partem seu noui orbis regiones & prouincias inuisere cœpit animum exardescere curiosa cupiditas. Itaque cum me Oceano committerem, nauimque ad hoc paratam conscendissem, velis iam extensis ventisque secundis aliquandiu nauigassem, statim turbatus est aër, hinc Eurus notusque ruunt, fluctusque tolluntur ad cœlum, & ad imam flectuntur abyssum, ac inualescente tempestate, malis velisque diruptis omnibus appertaque naui, & iamiam aquæ plenâ, ad fundum Oceani tendente, tanto periculo perterritus, numine conuocato, præcibusque multis & votis fatigato, tandem quiescit tempestas terribilis & horribilis illa, & semifracta nauis appulit portum Canariarum Insularum Fortunatarum, cui adhæsit per multum temporis, donec omninò reparata fuerit nauis & munita omnibus, quæ tempestate an-

teacta diſperſa, & perfracta fuerant: Reparatâ ergò naui, & munitâ omnibus nauigationi noſtræ perficiendæ neceſſarijs, Oceanum iterum conſcendimus, & velis ventiſque ſecundis, nauigationem noſtram abſoluimus, terramque nouam & cœlum nouum, conſpicimus & Americam noſtram iamdiu exoptatam appulimus, terram omnino Carbunculis rutilãtem, igneam omninò,& flammeam, vnde ab Hiſpanis dicta eſt, *Tierra del fuego* vltra Fretum Magellanicum conſtitutam, verſus Antarcticum polum, vbi omnia ad votum erant, nihil ibi frigoris, nihil ibi caloris excedentis, ſed omnia temperata,& moderata erant.

Tanta loci huius amoenitate pellectus, nauem liqui,& portui gratiſſimo & tutiſſimo alligaui,&loca amoeniſſima, huiuſce terræ nouæ, perluſtrare cupiens,illicò nouus hoſpes ab hoſpite nouo receptus, in Palatium, domumque regiam perductus ſum,pinnis turriliſque quàm multis in aërem ex ſurgentibus conſpicuam: Statim ab ipſius introitu haud dubiè conſpicitur,& manifeſtum eſt, regis ad cuiuſpiam & ſummi viri, luculentum eſſe diuerſorium, ne dicam Dei cuiuſdam magnificum hoſpitium: Nam ſumma laquearia citro & ebore curiosè cauata viſebantur, ſubeunt aureæ & argenteę, & cryſtallinæ Columnæ, & parietes omnes aureo & argenteo cælamine contegebantur,mirus prorſum magnæ artis homo, imo ſemi Deus,

vel certe Deus, qui magnæ artis ſubtilitate effigiauit aurum & argentum, prætioſoſque lapides diſtinxit in varia ac diſtincta ſimulacra: Porticus prægrandes ex vtraque medullij parte viſebantur fornicatim excauatæ, cæruleò, aureoque colore Smaragdis, Rubinis, Adamantibuſque variegatæ atque depictæ cernebantur, vbi ipſius Phœbi & Pythonis ſerpentis certamen verum, & ipſius Phœbi amores depicti conſpiciebantur ſtupendâ ſpectantium admiratione, iam me beatum & cœli incolam eſſe putabam, cùm me lapides prætioſiores, & lucem ipſam calcare videbam, ita vt domus tota, ipſiuſque parietes omnes ſolidati maſſis aureis, & lapidibus prætioſis ſplendore proprio coruſcabant, vt diem ſuum, ſibi domus ipſa faceret, ipſomet recuſante & nolente ſole, ſic cubicula, ſic porticus, ſic ipſæ valuæ fulgarant, vt noctem nullam nec vmbram tenebroſam ſciat ipſa domus.

Omnia tandem huic diuino hoſpitio ad votum erant: vnum ſolum deerat, non erant riuuli, neque fontes aquam dulcem ſalientes, hortulos peramœnos & gratiſſimos huiuſce Palatij irrorantes, aderat tantùm, vnicus fons in medullio Palatij extructus, & mirâ arte ab ipſa naturâ fabricatus, aureus quidem, & ipſomet auro prætioſior, cum *ipſo auro, quid* nobilius, & præſtantius ex eo fonte enaſcatur, vnde aqua perennis *continenter emicat*, &

fistulatim excusa sese in auras, per tubos septē ducta, eiaculabatur, sed quod mirum est, de ipso fonte, & supra omne verum, admirabile & stupendum, eius aqua non erat humida, sed omninò sicca, & tamen omnia, quæ irrorabantur aqua illa, virescebant, & vigebant flore perenni, & viuido, septemplici tubo irrorabat hortos omnes huiusce Palatij, & quamuis sicca esset, & nullo pacto madefaceret, irrorabat tamen, & superficiem planam hortorum discurrebat, neque adhærebat nisi his, quæ erant suæ naturæ: sunt autem numero septem tantam quę sunt eius fontis naturæ & essentiæ, quæ totam naturam & mundum hunc suo imperio gubernant & regunt: Mirabilis est omninò huius aquæ virtus, quamuis venenosa admodùm sit & mortem adferat suis ipsismet rebus, quas producit: vnde & ipsius fontis scaturigine mors & vita saliunt, & mortem inferre, summa est illi laus, & gloria cum & morte illa quam infert vita perennis & immortalis exurgat: crudelis admodùm mater, cum suos filios ipsamet enecet: & pia valet mater, cùm suosmet filios morte ipsa ad perennem vitam & immortalē deducat. Huiusce fontis mirâ scaturigine & virtute stupefactus, non longè hinc deducor ad stagnum, vbi aqua fontis huius cumulata stagnabantur, vbi mirum & prodigiosum spectaculum & horrendum penitùs visebatur: Draconem alatum miræ magnitu-

dinis & fortitudinis ex meditullio ſtagni huius exurgentem vidi, cuius aſpectu perhorrido perterritus ſubitò hinc aufugere tentaui, niſi blandiſſimo ſermone ab hoſpite meo, qui me in Palatium deduxerat, & mihi fidus Achates ſemper fuerat, detentus fuiſſem. Quid times (inquit) & aſpectu huiuſce Draconis exhorreſcis? Apollinis alumne, ita tandem & timorem ex animo omnem diſcute, mirabiliora adhuc in hoc ſtagno videbis, ex pugna & certamine huiuſce Draconis, cum ſtrenuo & forti, vndiquaque catafracto Milite, qui Draconem hunc venenoſum valet & peſtiferum enecturus eſt peculiari certamine, vt huiuſce Palatij, & magnificæ domus pax æterna interueniat. Alioquin & Palatium omne hoc magnificum deſtructioni & ruinæ deſtinatũ eſt, quod eſſet regioni huic omni & incolis eius peramarum infortunium. Eo ipſo adhuc loquente ecce Militem ſtrenuum, qui lento & graui paſſu ſtagnũ verſus ſe contulit, & enſe diſtricto in ſtagnum ipſum dedit ſe præcipitem, Draconemque eſt aggreſſus. Hinc horrendum & tremendũ certamen inter ipſos exortum eſt, & ſtagnum, cum igneæ & aëreæ eſſet naturæ, & ſummopere agitaretur pugnâ & certamine pugnantium, igneos & aëreos ex ſeipſo emittebat & exalabat vapores, nunc nigrum, nunc flauum, nunc viride, nuc coeruleum, nunc colorum omnium varietate pertinctum apparebat ſta-

gnum, & ex Draconis faucibus ignis purus, & flamma eructabatur venenosa penitus, cuius flammæ lætali veneno extinctus est strenuus, & fortissimus noster Miles, & à Dracone ipso cum suis omnibus deauratis armis deuoratus, & deglutitus est, cùm tamen non omninò adhuc mortuus, sed semiuiuus deuoratus fuerit, viscera omnia ipsius draconis dilacerata sunt, ab ipso milite, non adhuc mortuo, ita vt tandem Draco ipse mortem obire coactus fuerit, & sanguine suo vnà cum Militis sanguine stagnum totum pertinctum sit, & sanguineum factum. Hinc putrefactione & leuissimo calore solis exortæ sunt rosæ albissimæ fragrantes maximè, & odore suauissimo aulam totam replentes. Post ortum harum rosarum albissimarum exortæ sunt & aliæ rosæ rubicundissimæ, suauius adhuc rosis albis redolentes calore solis etsi violentissimo, nullo pacto marcescentes sed semper suo rubore vigentes. Hinc totum stagnum desiccatum est vnà cum corpore draconis & militis eorumque omnium sanguine; quæ omnia cum stagno prædicto in rosas rubicundissimas conuersa sunt, quarum rosarum odor tantus erat & adeò suauiter viuificus & verè vitalis, vt Incolæ omnes huiusce Palatij solo illo odore verè viuerent, & vitalem verè vitam ducerent & immortalem. Itaque si quis eorum ægrotaret & malè se haberet rosâ vnâ acceptâ & naribus appositâ, solo illo odore totus recreabatur,

creabatur, morbus omnis euaneſcebat, & vita verè vitalis ab omnibus vitæ humanæ incommodis libera & vindicata hinc indè exſurgebat, & ſic viuebant Incolæ huiuſce Hoſpitij incolumes ab omni miſeriâ & calamitate, vitamque longiſſimam beatam prorſus & omni ex parte fœlicem ducebant.

Tanto miraculo in ſtupore redactus ad hoſpitem meum verſus, cùm præ ſtupore & miraculi viſione loqui non poſſem, ſigna cum oculis & manibus illi dedi, vt mihi notitiam & cognitionem tanti myſterij & miraculi patefaceret & indicaret. Ille illicò ſigna mea intelligens & capiens, prudentiſſimus enim erat & ſenex multùm, annis tantùm, non corporis debilitate, qui vigoris ſummi erat, tùm animi & corporis, & tamen annorum pluſquam quinque millia à natiuitate ſua numerabat. Ille ergò vetuſtiſſimus omnium, & omnibus iunior, cùm omnes ſuo robore & virtute vincat ſermone blando, talia & ſequentia dixit. Tu admiratione rerum peractarum ſtupefactus quaſi incantatus obmuteſcis, & loqui non potes rerum admirandarum viſione: ſedeamus hîc ſuper hunc Lapidem cryſtallinum, qui nobis ex occaſione offertur, vt pacatiùs audias & percipias, quæ tibi dicturus ſum de Palatio iſto, de regione & prouincia, quam nauigatione tua appuliſti, de fonte miro quem vidiſti, de ſtagno quòd in roſas albas & rubras conuer-

sum vides, de Dracone & milite, quos inter se pugnantes, & morte alternatâ & mutuâ occumbentes conspexisti cum eorundem Metamorphosi mirâ. Palatium ergo istud Solis est & ipsius Phœbi Diuersorium, quidquid in eo est diuitiarum, quidquid auri & argenti, quidquid lapidum prætiosorum continet, ex fonte quem admiratus es originem habet. Ergò ipse cum vxore mea, quæ mea soror est, vno enim partu ex solo patre nati sumus. Ergo, inquam, ipse solus vnà cum sorore mea, quæ mea chara coniunx habetur, fabricati sumus hoc hospitiũ & diuinum domicilium, & Phœbo dicauimus, & omnia quæ fuerunt nobis necessaria ad constructionem illius magnifici Opificij, ex solo fonte desumpsimus, & quod adhuc mirabilius est, Opificium hoc iam constructum & factum conseruatur in nitore, candore & perfectione sua, solo odore & nidore fontis huius. Si destrueretur fons, destrueretur & periret omninò Palatium istud, & omnes eius diuitiæ euanescerent, idcirco in meditullio ipsius areæ, conseruatur, & collocatur, vt hinc meliùs & fortiùs suas virtutes toti opificio distribuere possit. Regio etiam & Prouincia tota, quam appulisti, Sapientum est & Philosophorũ Regnum, in eo solo morantur & quiescunt, cæteraque terræ Prouincias & regiones contemnunt, cùm in ea sola gaudeant & quidquid exoptare queant, ex votis habeant. Hæc ergo Prouincia

& quæ mira sunt in ipsa (quæ quidem infinita sunt) dependent ab ipso fonte, & stagnum, & Draco, & Miles, & rosæ tùm albæ tùm rubeæ, quæ hinc enatæ sunt, ab ipso fonte enascuntur & conseruationem suam habent, & ego ipse qui sum verus faber & architectus rerum omnium vna cum vxore mea nil agere possum absque fonte ipso, cuius pater est Sol ipse, & mater Luna, & menstruum & semen, ex quibus Pater & Mater hunc fontem produxerunt, est aqua, quæ in ventre suo terram, aërem & ignem continet, & perindè in ipso occultata sunt, quæ dum fiunt manifesta, fons ipse siccatur omninò Draco moritur & Miles, eorumque omnium mors rosas illas albas & rubras producit, sic mors morte destruitur & vita perennis exsurgit. Miles, Draco & fons & opificium omne vnum & idem sunt, & habent vnam & eandē originem, & ex fonte scaturiunt, sed primò fons exsurgit, & est Primogenitus omnium. deinde ex ipso reliqua omnia procedunt.

His dictis tacuit ipse senex & iuuenis, & me sedentem erexit, & aperto lapide crystallino, super quem sedebamus, qui ex fonte concretus erat, speculum mihi ostendit, in quo tota natura animalium vegetantium & mineralium erat fusè admodùm effigiata & aperta. Ibi totius naturæ proprietates, virtutes, & energias rerum omnium cum suis principijs & elementis conspexi, ac quales sint & esse debeant

didici. Tunc temporis genibus flexis & manibus iunctis gratias immortales egi Creatori meo, & hospiti congratulatus sum de eius sermone & fauore, cuius gratiâ hæc cœlitùs mihi euenerant, & statim de reuisenda patria mea cogitaui, & salutato hospite meo, & gratijs illi peractis, Nauim meam portu alligatam conscendi, & faustè tutóque admodùm patriam appuli meam, & hæc miranda narraui accolis meis omnibus, qui incredibilia verè facta sunt, cùm tamen omninò certa & verissima esse probet ipsa ratio, auctoritas & experientia.

FINIS.

Deo sit laus & æterna gloria.

GRatiâ & priuilegio Regis permissum est Petro Bosc Bibliopolæ, in Vniuersitate Iurato, Typis mandare Librum inscriptum, *Propugnaculum Alchymiæ Petri Ioannis Fabri, Doctoris Medici Monspelienſis, & alia eiusdem Opera Chymica, & Medica*, & interim per tempus & spatium septem annorum consequentium, à fine Impressionis incipiendo; prohibitionibus factis omnibus Typographis & Bibliopolis, typis excudere, aut excudi curare, librum supradictum, nec partem illius, sub pœna eorundem librorum fisco addiscendorum, multâque eodem Priuilegio irrogatâ. Datum Parisijs vltimo Ianuarij 1639. A Rege in suo Consilio.

CEBERET.

Acheué d'imprimer le 25. Ianuier 1645.

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE

INDEX CAPITVM,

QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Numerus paginam indicat.

Caput I. AN *Alchymia sit vera scientia.* *pag.* 4.

Cap. II. *Quid prætendat Alchymia in rebus omnibus cognoscendis* p. 6.

Cap. III. *Quantùm præcellat Alchymia cæteras omnes scientias naturales* p. 9.

Cap. IV. *Quòd Naturæ purum sit solius Alchymiæ subiectum.* *pag.* 11.

Cap. V. *Quid & quale sit naturæ purũ &c.* *pag.* 14.

Cap. VI. *Quòd Lapis Philosophorum sit in rerum naturâ, & verè existat* p. 17.

Cap. VII. *Quòd naturæ purum in genere metallico, sit antiquorum Lapis Philosophorum.* *pag.* 19.

Cap. VIII. *Purum naturæ metallicæ quiâ & quale sit &c.* *pag.* 22.

Cap. IX. *Quòd nominum multitudine & varietate Chymicum Arcanum obscuratum sit stultis, Sapientibus verò demonstratum.* pag. 28.
Cap. X. *Quibus constet Arcanum Physicum siue Lapis Philosophorum.* pag. 31.
Cap. XI. *Quis & qualis sit Philosophorum Mercurius, ex quo componitur eorundem Lapis.* pag. 34.
Cap. XII. *An Mercurius Philosophorum & vulgi inter se differant.* pag. 37.
Cap. XIII. *Quâ methodo & viâ præparandus sit vulgi Mercurius, vt Philosophorum habeatur.* pag. 40.
Cap. XIV. *An detur alius in rerum natura Mercurius, præter vulgarẽ &c.* 44.
Cap. XV. *An solus vulgi Mercurius præparatus sufficiat ad Opus Chymicum perficiendum.* pag. 48.
Cap XVI. *Quid sit illud purissimum Mercurij, quod metalla & opus Chymicum perficit.* pag. 51.
Cap. XVII. *Quid sint principia naturalia & quâ viâ ab Elementis producantur.* 55.
Cap. XVIII. *An in Puro Mercurij, quo*

metalla fiunt, sint sulphur album & rubeum, & masculus &c. pag. 60.
Cap. XIX. *Quare Aurum & Argentum sint necessaria Operi Chymico cum ipsomet argento viuo.* pag. 62.
Cap. XX. *Quare in perfectione operis Chymici, nouem menses vel annus integer sint necessarij.* pag. 65.
Cap. XXI. *An omnibus anni temporibus perfici possit Lapis Philosophorum.* p. 69.
Cap. XXII. *An Aurum Philosophorum &c. sit aurum commune.* pag. 71.
Cap. XXIII. *An Aurum commune mortuũ & sterile arte nostra viuificari possit.* 73.
Cap. XXIV. *In quo naturali subiecto copiosè resideat spiritus naturæ metallicæ, & quâ arte hinc eliciendus sit.* pag. 76.
Cap. XXV. *Quibus Artis operationibus Lapis Philosophorum componatur.* p. 78.
Cap. XXVI. *De solutione Chymicâ, quæ est principium operis Chymici.* pag. 80.
Cap. XXVII. *Quot sint necessaria ad Chymicam solutionẽ absolute perficiendã.* 83.
Cap. XXVIII. *De Coagulatione Chymica, quæ totum perficit Opus.* pag. 86.

Cap. XXIX. Quibus vijs & rationibus excogitarint antiqui Sophi Lapidem suum, vel an solâ reuelatione diuinâ habuerint ipsum &c. pag. 89.
Cap. XXX. De sulphure albo, quid sit, vbinam sit, & quid prosit Chymicis. p. 94.
Cap. XXXI. De sulphure rubeo, quid sit, & vbinam sit, & quid prosit. pag. 96.
Cap. XXXII. An Sulphur album & rubeũ sufficiant ad perfectionem lapidis. p. 98.
Cap. XXXIII. Cur Lapis Philosophorũ non credatur ab omnibus, nec habeatur. 101.
Cap. XXXIV. Quid agere debeant qui ad Lapidem Philosophorũ aspirant. p. 103.
Cap. XXXV. Quòd Lapis Philosophorum ex nulla re animali fieri possit. pag. 105.
Cap. XXXVI. Quòd ex nullo Vegetabilium Lapis Philosophorũ fieri possit. pag. 108.
Cap. XXXVII. Quòd ex solo metallico genere Lapis Philosophorũ fieri possit. p. 111.
Cap. XXXVIII. Conclusio Totius Operis in Mysochymicos. pag. 115.
Ænigma Chymicum, cuius velamine & cortice totum Opus Chymicum complectitur.

FINIS.

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

181
Alchimie
Fabre
100f

(185)

Jeannine de Brunet

Le Propugnaculum
Alchymiæ, est l'un
des plus rares ouvrages de
P. J. Fabre.

Imprimé pour Pierre Bosc
par François Boude -
Le Bandeau de la seconde
page - est utilisé maintes fois
par cet atelier -
La lettre ornée M fait partie
d'un alphabet qu'il est le seul
à utiliser. -
Quant à la facture générale
l'absence de majuscules ornementées
et l'emploi de simples grandes
Lettres Noires - démontrent la
façon de faire de François Boude.